huic Apoſtolo promiſſa ipſo Veritatis oraculo. eſt invictum Religionis propugnaculum, unde egrediuntur tonitrua, & fulmina, quæ fuerint monſtra germinantia ex errore, quem in abyſſis ſuis evomit infernus ad Salvatoris Sponſam laceſſendam. Hæc illa eſt rupes immobilis, in quam confracti ſunt toties exundantes perſecutionum torrentes, hæreſes, & ſchiſmata. Hic ille ſacer eſt limes, in quo Dei manibus inviſibilibus notis inſcripſit, iratum mare obſequi imperanti. Omnis dæmonum rabies, omnis tyrannorum furor, omnes hæreſeon conatus infringere non valuerunt hoc vallum, & filius Eccleſiæ rebellis illud audet tranſilire; ſpiritus indocilitatis in Chriſtianos effuſus efficit, ut ſpiritus ſubmiſſio, tanquam infirmitatis nota habeatur. Sed fatendum eſt in iis, quæ pertinent ad obedientiam capiti Eccleſiæ, perquam raro peccari, cum longius extenditur, & ſemper adeſſe periculum, cum nimis arcti limites ei tribuentur. Præcautio neceſſaria, ne ſuboriatur quid novi, hæc eſt, Eccleſiæ relinquere examen, atque cenſuram, & præſtolari, donec Oraculum, quod certiſſimus eſt fidei noſtræ Canon, pronuntiaverit, ut ſecundum illius deciſiones inſtituamus judicium, quod eſt a nobis faciendum. *Abbas du Jarry.*

PRO S. PAULI PANEGYRICO.

MONITUM.

TOT tantaque de S. Paulo Apoſtolo dicenda ſunt, ut tot fieri poſſent Panegyricæ Orationes, quot mirabilia fecit, & quot virtutes exercuit. In adeo late patentis argumenti amplitudine, in quo difficilis eſt electio, Prædicatorum omnium methodum ſecutus ſum, qui nonniſi generatim verba fecerunt, quin vel prolixam vitæ illius hiſtoriam contexerent, neque fuſiorem inſtituerent nomenclaturam heroicarum actionum illius, quæ in Apoſtolorum Actis referuntur. Una tantum ejus converſio, quam ipſe fuſiori enarratione perſequitur, illa eſt, de qua latius verba facienda ſunt, quin ſingulas ſingulorum itinerum vel operum ejus circumſtantias conſectemur: ſed aliquot tantum morales animadverſiones inſtituendæ ſunt, ubi de illius perſecutionibus, zelo, præcipuiſque virtutibus agatur.

Ubi animadvertendum eſt etiam in magni Apoſtoli hujus honorem tres ab Eccleſia feſtivitates celebrari: Primo enim illum cum S. Petro conjungit ea in ſollemnitate, quæ utriuſque nomine decoratur; Altera illius unius converſioni dedicata eſt, quæ colitur tanquam non poſtremus miſericordiæ Domini erga ipſum effectus quem illa pro Gentium converſione converterat. Tertia vero poſt feſtum S. Petri diem ſacra eſt ejuſdem commemorationi. Plerique autem Sanctorum Patrum, veterumque Concionatorum in ſermonibus, & Homiliis ſuis utrumque Sanctum hunc conjunxerunt, & in utriuſque laudem unam dumtaxat Panegyricam Orationem habuerunt. Recentiores vero, qui in ſermonibus ſuis unitatem quæſiverunt, diligentiſſime vitium hoc evitarunt, & ſingulis ſingulos ſermones aptarunt. Hoc tamen non obeſt, quominus ſeorſim haberi poſſit oratio de S. Pauli Converſione, ut Eccleſiæ mentem ſequamur. Verum ſicuti qui hoc faciunt non ita huic inhærent circumſtantiæ, ut ſimul non oſtendant ejuſdem effectus, ac fructus; quod proprie eſt Sancti Pauli characterem exprimere; undequaque collegimus, quæ huic inſervire poſſint argumento juxta ordinem ac methodum, quam ipſi nobis præſcripſimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum Argumenti hujus imagines, ac ſtructuræ.

I. PRo textu aſſumptis his verbis: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus.* Ad Rom. 1. Hoc totum eſt elogium magni Apoſtoli, quem hodierna die veneramur. His ergo verbis immoremur, quæ præſtantiſſimos cordis ejuſdem ſenſus exprimunt; & quoniam diei hujus ſollemnitas nos ad illius celebrandas laudes impellit, ipſum ſecundum mentem illius collaudemus. Relinquamus quidquid præſtantius, at magnificentius Eccleſiæ Patres dixere in hujus Apoſtoli gloriam, & dicamus ſolum illum fuiſſe Jeſu Chriſti ſervum. *Paulus, ſervus Jeſu Chriſti.* Etenim ex S. Gregorii ſententia quicumque vult ſervus eſſe, fideliſque miniſter, & ad hujus rei perfectionem contendit, tria præſtare tenetur. Obire miniſterium ſuum, illud honorare, & cum neceſſitas exigat ſemetipſum pro miniſterio ſuo ſacrificare. Tria officia, quæ invicem per gradus præcellunt, & quorum alterum primo tantum præſtat; quantum tertium ſecundo. Quippe honorare miniſterium ſuum aliquid amplius eſt, quam illud implere; & ſe pro miniſterio ſuo ſacrificare, majus aliquid eſt adhuc, quam illud honorare. Verum cum hæc omnia ſimul coeunt, aſſerere poſſumus zelum ad altiſſimum excellentiæ gradum, quem habere valeat, evaſiſſe. At S. Paulus extitit fidelis J. C. Servus: *Paulus, ſervus Jeſu Chriſti*, qua re? quia pleniſſime functus eſt toto munere Apoſtolatus, quia perfecte honori fuit muneri Apoſtolatus, & quia jugiter pro munere Apoſtolatus ſeipſum immolavit. Illum ergo conſiderare poſſumus tanquam ſervum, & miniſtrum fidelem J. C. ſub triplici hac ſpecie.

II. 1. Pleniſſime adimplevit munus Apoſtolatus ſui per Evangelii prædicationem.

2. Perfecte honori fuit muneri Apoſtolatus ea ratione, qua prædicavit Evangelium.

3. Jugiter pro munere Apoſtolatus ſe ipſum immolavit per eas perſecutiones, quas paſſus eſt, & labores, quos in Evangelii prædicatione ſuſtinuit.

Hoc totum eſt, quod mihi propoſui argumentum: Verum ne putetis ſermonem hunc eſſe tanquam ſimplex elogium, quod hic immoretur, ut vobis ſublimem S. Pauli conceptum aſtruat, hic Religionis ſermo eſt; hic canon eſt ad mores noſtros imbuendos; hoc exemplum eſt, quod nobis proponit Deus, ut illud ſequamur, nobiſque applicemus. *Bourdaloue.*

Dici poteſt etiam Deum elegiſſe Sanctum Paulum triplicem ob cauſſam, quibus Apoſtolicus zelus illius erat occupandus.

1. Ut Judaiſmum confunderet.
2. Ut Gentilitatem converteret.
3. Ut Chriſtianiſmum in ipſo illius ortu formaret. *Hæc pars eſt ſermonis P. Bourdaloue, ſed quæ integri ſermonis argumentum eſſe poteſt.*

Legatione pro Chriſto fungimur. 2. ad Cor. 5. Reor me numeris omnibus abſolutiſſimum S. Pauli elogium feciſſe, cum dixi eumdem digniſſimum Apoſtolum, & Jeſu Chriſti legatum fuiſſe: cumque hæc præclariſſima ſit, ac fulgidiſſima divini hujus hominis prærogativa, ſatis mihi videtur eſſe, ut illum habeamus veluti unum ex Eccleſiæ principibus, atque illum etiam ſuper Angelorum choros extollamus. Ut quis dignus habeatur ſummi alicujus Principis legatus, tria potiſſimum requiruntur. Auctoritatem obtinuerit neceſſe eſt, ut Principis locum teneat, eumque repræſentet. Calleat oportet illius negotia, & voluntates, ut aliis mentem ejus aperiat. Zelo tandem flagrare debet pro ejus perſona, & publicæ rei bono, ut quæ ad illius dignitatem, ac utilitatem pertinent, procuret. Verum enim vero ſi quis unquam fuit, qui tres haſce prærogativas ad Jeſu Chriſti famulatum attulerit, hic procul dubio Magnus Apoſtolus, de quo loquimur, extitit. III.

1. Nemo fuit unquam, qui apertius præſetulerit, atque magis in honore habendum curaverit auguſtum magnitudinis Magiſtri ſui characterem.

2. Nemo fuit unquam magis cæleſtibus luminibus illuſtratus, vel qui illa uberius in terram effuderit.

3. Nemo fuit unquam amore Domini ſui, ejuſque ſubditorum accenſus, vel qui utilius pro illius quidem gloria, horum autem ſalute adlaboraverit. Hoc vobis oſtendere fert animus, ut vobis perſuaſum ſit de magnalibus inſignis hujus Apoſtoli, & Legati Jeſu Chriſti, quæ in triplici hac prærogativa continentur, & tres ſermonis mei partes conſtituent. *Abbas Verjus.*

Vas electionis eſt mihi iſte. Act. 9. Nihil hanc laudem excedit, vel apertius Apoſtoli hujus noſtri merita extollit. Dici igitur poteſt, S. Paulum fuiſſe vas electionis triplici modo. IV.

1. Habita ratione gratiæ, 2. Apoſtolatus, 3. Muneris Doctoris gentium: In quibus nonnullæ occurrunt peculiares circumſtantiæ, quæ tres ſermonis hujus partes efficient. *P. Duneau.*

Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit. 1. ad Cor. 11. quemadmodum S. Pauli converſio duos habet terminos, duas etiam partes habet eidem eſſentiales, quæ ſimul junctæ efficiunt pulcherrimum atque præſtantiſſimum gratiæ Salvatoris triumphum: Prior eſt quod furentis Sauli pernicioſos conatus perfregit, cum ille nihil niſi primorum fidelium ſanguinem cædemque ſpiraret. Altera eſt, quod illum in S. Paulum convertit; hoc eſt in hominem Dei imperio obſequentem, ac paratum ad omnia propter illius amorem, & gloriam agenda, & ſuſtinenda. Admirabilis mutatio, miraculoſa converſio hominis, qui partes, cauſſam, ſenſus, ac voluntatem invertit: *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Neque id ſatis eſt; ut enim hic triumphus magis juſtus, integerque fiat, Saulus hic immutatus, & factus per gratiam alius omnino ab eo V.

ab eo, qui erat, mox magna, & admirabilia ejuſdem gratiæ replet conſilia, & ad unguem reſpondet iis, quæ Deus in ejuſdem converſione ſe ex illo conſecuturum ſibi propoſuit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Hæc duo illa ſunt, quæ complectitur converſio magni hujus Apoſtoli, qui antonomaſtice Apoſtolus habetur, & appellatur. Alterum nobis oſtendit, quid in illo, alterum vero quid per illum gratia fuerit operata.

Primum complectitur mutationem, quam gratia in illius perſona peperit. *Gratia Dei ſum id, quod ſum.*

Alterum; mutatione, quam ipſe fecit in mundo, quem mox eadem opitulante gratia perfecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* Duobus verbis Saulus a J. C. converſus, qui illum vas electionis convertit, Paulus, qui mundum convertit ad Jeſum Chriſtum. In hoc ſitum eſt magnum opus, & gratiæ triumphus; quæ erunt duæ partes hujus ſermonis. *Auctor ſermonum in omnia argumenta, &c.*

VI. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos &c.* ad Cor. 2. cap. 12. Voluit Deus miracula S. Pauli Apoſtoli comitari, & prodigia, quæ operabatur, illi eſſe loco teſtium irreprehenſibilium in ſui miniſterii exercitatione. Natura tota magno huic Apoſtolo paruit; in omnibus elementis mirabilia operatus eſt, & ille ipſe tantum extitit miraculum, ut nemo poſſit ambigere quo minus a Deo fuerit electus, ut eſſet Prædicator gentium, & doctor mundi totius. Et ſane quid magis inſolitum eſt, quam videre hominem qui Eccleſiam evertere funditus moliebatur, eamdem confirmare? Eum, qui fideles perſequebatur, hos docere? Illum, qui Filio Dei bellum inferebat, caput fieri ſervorum ejuſdem, ipſius inimicos laceſſere, confundere Judæos, & de Gentilibus triumphum referre? Eum denique qui Martyrum ſanguinem fundebat, ſuum effundere, & ipſum quoque Filii Dei Martyrem fieri? Quomobrem ad Apoſtoli hujus Panegyricum texendum dicendum mihi videtur omnia in ipſo mirabilia fuiſſe.

1. Vocationem ejus ad Eccleſiam.
2. Eruditionem ejus in cælo.
3. Prædicationem ejus in Mundo.
4. Paſſionem, & mortem ejus Romæ. Hæc ſunt quatuor miracula, quæ humana mens nequit ſatis intelligere, & admirari. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

VII. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 1. Cor. 15. Gratia tres in Apoſtolis impreſſiones fecit ut vellent, ut agerent, ut paterentur propter Filii Dei gloriam, hominum vero ſalutem. Triplici modo igitur Apoſtoli gratiæ huic reſpondere potuerunt; deſideriis, actionibus, paſſionibus ſuis. Ita S. Paulus triplici immenſitate reſpondit toti extenſioni gratiæ Apoſtolatus ſui.

1. Votorum ſuorum immenſitate.
2. Actionum ſuarum immenſitate.
3. Paſſionum ſuarum immenſitate; atque in omnia replevit ſuæ electionis officia, omniaque gratiæ de eodem conſilia. *Biroat.*

VIII. *Saule, Saule, cur me perſequeris?* Actor. 9. S. Bernardus ait quod *Magnifice in hac una converſione, & miſericordia magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.*

1. Commendavit Deus miſericordiam ſuam patienter S. Paulum expectans & amanter illum præveniens.

2. Commendavit gratiæ efficaciam omnes motus cordis ejus immutans.

3. Commendavit gloriam nominis ſui illum ad Gentium converſionem deſtinans. *P. Nouet.*

IX. In Eccleſia nulla fuit converſio perfectior illa S. Pauli Apoſtoli ſive ejus vocatio, & illius obedientia ſpectetur; ſive conſideretur gratia, quam J. C. illi contulit, & opera, quam ille præſtitit J. C. Hinc meum invenimi argumentum, mihique id unum agendum eſt, ut vobis ſimpliciter, & ſine arte oſtendam.

1. Quid pro S. Paulo fecerit Jeſus Chriſtus. 2. Quid S. Paulus fecerit pro Jeſu Chriſto. Videbitis peccatum illius gratia deletum, ac pœnitentia reparatum; quæ ſumma eſt meæ orationis. *Flechier.*

X. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum &c.* Act. 9. Quamvis arduum ſit uno in ſermone colligere ea, quæ pro Jeſu Chriſto S. Paulus, & pro S. Paulo Jeſus Chiſtus operatus eſt, ea quæ Religio debet zelo, fortitudini, exemplis, luminibus Magni hujus Apoſtoli, & quæ Magnus hic Apoſtolus debet miſericordiæ Dei, quæ illum inter graviſſimos errores ejus elegit, ut illi ſublime Apoſtolatus officium committeret, atque ut omnibus hominibus perfectæ converſionis exemplum præberet: Hoc tamen magnum eſt argumentum, de quo vobis ſermonem habiturus ſum, ubi ut aliquos mihi circumſcribam cancellos in re, quæ latiſſime patet, conſiderabimus:

1. Sanctum Paulum tamquam magnus opus admirabilis gratiæ.

2. Tamquam magnum operarium gloriæ Dei, quod Scriptura de Sancto Job inquit, *Operarius gloriæ Dei.*

XI. Non minimus gratiæ effectus, vel potius triumphus gratiæ Salvatoris eſt miraculoſa S. Pauli converſio. Hoc ipſe Paulus teſtatur dicens, ſe gratiæ debere quidquid eſt; *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Merito igitur dici poteſt.

1. Gratiam numquam fulgidius triumphaſſe, quam in hujus viri converſione.

2. Gratiam nunquam vehementius pugnaſſe, quam per os S. Pauli.

Gentium Apoſtolus ad Timotheum diſcipulum ſuum ſcribens, ait: *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere per gratiam*, quam ipſe nobis promeruit; & ſuam etiam converſionem proponit in exemplum magnitudinis miſericordiæ Dei, ac virtutis gratiæ illius, quæ ipſum ex peccatorum omnium anteſignano in pœnitentium exemplar converterat. In hac Apoſtoli confeſſione, quam facit Apoſtolus ejus, quod ipſe erat ante gratiam, & bonorum, quibus per illam cumulatus fuit, fert animus hoc in ſermone vobis ob oculos ponere. XII.

1. Miſerrimum ſtatum, in quo magnus hic vir verſabatur antequam per gratiam mutaretur. 2. Circumſtantias converſionis ejus. 3. Exemplum, & documenta, quæ ex illius converſione poſſumus haurire. *Molinier.*

Jubetur Sanctus Paulus per omnes gentes prædicare magnalia Jeſu Chriſti, a quo converſus fuit ut redderet gratiæ, quod gratia pro eodem fecerat; videlicet XIII.

1. Gratiam omnia feciſſe pro S. Paulo.

2. Sanctum Paulum omnia feciſſe pro gratia. Verbo: Gratia ex Sancto Paulo facit Vas electionis; Sanctus Paulus univerſum mundum convertit, ut ex eo faciat Vas electionis Filio Dei.

Quidquid Patres inquiunt de S. Pauli converſione, redigitur ad tres admirabiles mutationes, quas gratia in illo operata eſt. Saulus erat peccator, perſecutor, & cæcus in Synagogæ favorem præventus. Gratia traducit illum a peccato ad juſtitiam, ab injuſtitia ad perfectionem, a cæcitate ad lumen. XIV.

1. Ex peccatore facit pœnitentem.
2. Ex perſecutore facit Apoſtolum.
3. Ex cæco pro lege antiqua prævento, doctorem illuminatum, & zelotem Evangelii Præconem.

In Sancti Pauli converſione conſiderare poſſumus miros effectus, & exceſſus divinæ erga peccatores bonitatis, quod duobus modis ſpectari poteſt, & ex hominis parte, & ex parte Dei. XV.

1. Potentia, bonitas, & miſericordia Filii Dei erga Saulum peccatorem.

2. Gratitudo, & opera Sauli converſi erga Jeſu Chriſtum.

Omnia facio propter Evangelium. Act. 9. S. Paulus his verbis oſtendit, omnem voluptatem ſuam eſſe pro gloria Filii Dei operari, ubique illius prædicare Evangelium, hoc eſſe illius bonum ſuum, gaudium ſuum, coronam ſuam. Facile igitur eſt, hanc illius eſſe jucundiſſimam occupationem: Pro Jeſu Chriſti, & Evangelii ipſius opera omnia facit, omnia ſuſtinet. Affirmare igitur poſſumus. XVI.

1. Quidquid Paulus facit, pro Jeſu Chriſti Evangelio facere.

7. Quidquid Paulus patitur, pro Evangelio pati. *Elogia Hiſtorica.*

Pro argumento deſumi poteſt.

1. Cura, qua Jeſus Chriſtus Paulum format ad Chriſtianiſmi, & Apoſtolatus gratiam. XVII.

2. Cura, qua Paulus ſervire adnititur gratiæ Jeſu Chriſti, ejuſque Religioni. Videlicet, duplici verbo: Paulus Magnus propter cæli dona, Paulus Magnus propter uſum donorum eorumdem.

Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus &c. Act. 9. Verum eſt, Apoſtolatum eſſe aliquid ita eminens, ſublime, & magnum, ut Sancti alicujus viri Elogium abſolutum jam ſit, ſimul ac dicitur ille inſigni hac dignitate decoratus fuiſſe. Etenim nihil majus eſt, & laudibus, atque admiratione noſtra dignius, quam homines erudire, illos ex erroribus, & mendacio eruere, mores illorum formare, illos ad virtutum praxim inſtituere, eoſque a ſuis cupiditatibus avellere: dicam melius, quam illos in ſtatum adducere cognoſcendi, diligendique unicum, & verum Deum. Ad id vocatum eſſe opus eſt, participem factum eſſe miſſionis Jeſu Chriſti, & quodammodo cum eodem partiri officium Salvatoris Mundi. Hoc itaque uno titulo S. Paulum diſtinguere placet; neque aliud Panegyricæ orationis in ejus laudem habere fundamentum. Sed cum hæc duo ſimul ad Apoſtolum formandum concurrunt; videlicet cum ex altera quidem parte ejus ad Apoſtolatum vocatio prorſus divina, & miraculoſa fuerit, ex altera vero, Apoſtolus hic vocationi ſuæ ad unguem ſatisfecerit: tunc intelligimus, hunc Apoſtolum magnitudini ſuæ cumulum addidiſſe; & propter Apoſtolatum ſuum fieri nequaquam poſſe, ut non miros pariat effectus, ac prodigia, quibus Deus illum in hac etiam terra dignari vult, & quæ efficiunt, ut homines etiam reſpiciant Apoſtolum tamquam id, quo nihil ſanctius, ac venerabilius ſit in noſtra Religione. Sanctus autem Paulus utrumque præſtantiſſime poſſedit, ac modo, qui illi proprius eſt, & ſingularis. Nihil enim majus, quam ejus vocatio ad Apoſtolatum, nihil majus quam quod propter hanc ad Apoſtolatum vocationem perfecit. In Eccleſia omnibus ſæculis non alio nomine vocatus fuiſſe videtur S. Paulus, quam hoc magni Apoſtoli, Apoſtoli per antonomaſiam. Immoremur hic ergo, & videamus: XVIII.

1. Quomodo Sanctus Paulus ad Apoſtolatum vocatus fuerit.

2. Quomodo Sanctus Paulus functus fuerit munere ſui Apoſtolatus. *P. Chamillart ſerm. Manuſcripto.*

S. Chry-

BIBLIOTECA CENTRAL

XIX. S. Chryſoſtomus inquit, S. Paulum Apoſtolum tria magna talenta, vel tres gratias a Deo recepiſſe. Habebat enim, hic Pater ait.

1. Animum ad agendum expeditum, vividum, audacem (abſit verbo invidia) quem nullæ deterrere poſſent difficultates, & ad quoslibet obices ſuperandos aptiſſimum.

2. Sapientiam prorſus cæleſtem, aptiſſimam ad hominum mentes pervadendas, perſuadendaſque.

3. Potentiam inauditam, ac ſupernaturalem, quæ parebat in prodigiis, quæ operabatur, eum admirabilis, & irreprehenſibilis vitæ ſanctitate conjuncta.

XX. Gentium Apoſtolus melius nequit repræſentari quam veluti vas a Deo electum, ut poterat nomen ejus in Gentes. Apud illas fecit, quod apud Judæos Filius Dei; quamobrem S. Chryſoſtomus ait, parum eſſe, S. Paulum Apoſtolum dicere, ſed alterum quodammodum Jeſum Chriſtum poſſe appellari. *Dicam Apoſtolum Paulum, dicam pluſquam Apoſtolum; immo & alterum Chriſtum*. Quod autem Dei Filius pro Judæis fecit, ad tria capita redigi poteſt.

1. Ad veritates, quas illis prædicavit.

2. Ad leges, quas illis dedit.

3. Ad perſecutiones, quas per illos, & pro illis paſſus eſt.

Hæc perfecte quadrat S. Paulo, quia Sanctus Paulus Gentibus prædicavit; illorum Doctor fuit, Legislator, & Martyr. *Specimina orationum Panegyricarum. Tom. 2.*

XXI. S. Paulus Apoſtolus perfectus fuit Filii Dei imitator; qui illum in omnibus actionibus ejus exprimere conatus eſt. Dei Filius non alium niſi veritatis, Crucis, & Eccleſiæ amorem habuit. S. Paulus ut Salvatorem ad vivum exprimeret, ipſe quoque veritatem, Crucem, & Eccleſiam dilexit.

1. Amavit veritatem, quia ejuſdem fuit indefeſſus, & aſſiduus prædicator.

2. Amavit Crucem: *Chiſto confixus ſum Cruci*; quoniam illius victima fuit, eamque toto vitæ ſuæ ſpatio geſtavit.

3. Amavit Eccleſiam: quoniam pro illa ſemper laboribus exercitus fuir, quia omnes vigilias curaſque ſuas illis impendit; quia illam inter Gentes fundavit, & quia adhuc etiam poſt mortem operatur divinis operibus ſuis, quæ nobis ſcripta reliquit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores qui de hoc agunt argumento.

S. Patres aliique ſummi viri. PRæter ea, quæ nonnulli SS. Patres generatim dixerunt de Sanctis Petro, & Paulo in communi eorum feſtivitate, & quæ in ſuperiori titulo videri poſſunt: hæc peculiariter de S. Paulo dicunt.

S. Auguſtinus, *lib. 1. de Prædeſt. Sanct. cap. 2.* oſtendit quam ſubita fuerit S. Pauli converſio.

Idem *Lib. Expoſit. inchoatæ Epiſt. ad Roman.* oſtendit S. Paulum manibus Judæorum lapidibus obruiſſe S. Stephanum. Idem *in Pſal. 44:* loquitur de modo, quo S. Paulus converſus fuit.

Idem *Serm. 25. de Sanctis* oſtendit S. Paulum poſt converſionem ſuam pertuliſſe ea, quæ ante converſionem ſuam recentibus Chriſtianis intulerat mala.

Idem *Serm. 11. de Sancto Stephano* eloquenter Saulum increpat perſequentem: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Idem *Serm. 2. de S. Paulo* oſtendit, quomodo Magnus hic Apoſtolus fuerit omnibus omnia.

Idem *lib. 50. Homil. 4.* verba facit de bono, quod S. Pauli converſio peperit Eccleſiæ.

Idem *Sermone 29. de Sanctis*, concinnat elogium Sanctorum Petri & Pauli, ac jugem utriuſque comparationem inſtituit.

Idem *Serm. 9. de Verbis Domini* loquitur de conſolationibus S. Pauli inter tribulationes, ac labores.

Idem *Serm. 26. de Sanctis* loquitur de fontibus lactis, qui ex corpore S. Pauli decollati emanarunt.

Idem loquitur etiam de S. Paulo pluribus in locis, verum cum data occaſione, & per tranſennam loquatur, credidi eos non eſſe indigitandos.

Ex omnibus Patribus nemo magnificentius locutus eſt de Sancto Paulo, quam D. Chryſoſtomus in Homiliis, quæ hujus tantum Apoſtoli laudes continent; in tomo *de diverſis*.

Idem *homil. 55. in Acta Apoſtolorum* præſtantiſſimum habet S. Pauli elogium.

Idem *Homil. 19. in Acta* latius verba facit de modo, quo Salvator Saulum corripuit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?*

S. Athanaſius *de fuga*, oſtendit quotiſcumque Sanctus Paulus ceſſit, non per ignaviam, ſed per prudentiam ceſſiſſe.

S. Gregorius *lib. 29. in Job*, affirmat, Jeſum Chriſtum humiliaſſe S. Paulum etiam poſt converſionem illius, ut omnes homines intelligerent, eos omnes, qui inſignes fuerunt peccatores, ſemper ſe ſe in humilitate continere debere.

Idem ibidem ait, ſquamas, quæ de S. Pauli oculis ceciderunt, ſymbolum fuiſſe obdurati cordis quod ante converſionem occalluerat.

S. Aſterius in Panegyrica oratione, quam in Sanctorum Petri, & Pauli laudes elucubratus eſt, oſtendit ipſum Chriſtianam Religionem eodem zelo propugnaſſe, quem in illa oppugnanda præſtulerat.

Origenes in illa Geneſis verba *cap. 49. Benjamin lupus rapax &c.* quæ Pater hic explicat in Homil. 4. in Ezechielem, probat illa de Benjamin dici non poſſe, unice vero S. Paulo quadrare.

Idem explicans verba hæc ex altera ad Corinthios Epiſtola: *Parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me*, oſtendit hujus Apoſtoli humilitatem metuentis, ne quis eum pluris faciat, quam mereatur.

S. Bernardus duos habet Sermones de S. Pauli converſione.

S. Thomas Sermonem habet in diem feſtum Commemorationis S. Pauli in ea verba: *Bonum certamen certavi &c.*

Albertus Magnus habet ipſe etiam Sermonem in eadem verba.

Guillelmus Pariſienſis, Sermone 2. de laudibus Sancti Pauli.

Benedictus Juſtiniani *in omnes Beati Pauli Epiſtolas explanationum Tom. 1. diſp. 3.* funditus exhaurit quidquid pertinet ad S. Pauli perſonam, patriam, ætatem, ſcientiam, eloquentiam, converſionem, & reliqua in Prolegomenis Epiſtolarum ejus.

Cornelius a Lapide initio Commentariorum ſuorum in S. Pauli Epiſtolas latius verba facit de octo Magni hujus Apoſtoli prærogativis, ad quas refert quidquid in laudem illius dici poteſt.

Granatenſis in Parte altera Catechiſmi.

Godeau in vita S. Pauli, quæ proprie loquendo eſt Paraphraſis quædam in Acta Apoſtolorum. Sed in Sermone ad Miſſionarios, qui eſt veluti procemium quoddam latius de zelo, & actis S. hujus Apoſtoli proloquitur.

P. Novet Tomo de vita Jeſu Chriſti in Sanctis ſuis amplam habet meditationem pro die Commemorationis S. Pauli.

P. Haineuve ſub finem tertiæ partis Meditationum ſuarum de Jeſu Chriſti vita, unam habet pro feſto Sanctorum Petri & Pauli.

P. Croiſet in primo tomo piarum exercitationum pulcherrimas habet de S. Pauli converſione animadverſiones.

Biroat Tomo primo Panegyricorum Sermonem habet de Sancti Pauli converſione, & in altero alium in diem Commemorationis Apoſtoli ejuſdem poſt Sancti Petri Panegyricum. Concionatores Recentes.

Ogier Tomo primo actionum publicarum habet Apoſtoli hujus Panegyricum.

Molinier licet paullo antiquior in Tomo primo in feſtos Sanctorum dies.

P. Duneau in Tomo primo de Sanctorum Panegyricis.

P. Senault Oratorii Presbyter in volumine altero de Panegyricis Sanctorum.

P. Texier in Tomo 1. Panegyricorum, habet unum de S. Pauli converſione.

Flechier Tomo 1. Panegyricorum item unum.

Promentier Sermone de S. Paulo.

P. Bourdaloue Tomo primo Sermonum pro Sanctorum ſollemnitatibus.

Auctor Sermonum in omnia argumenta. Tomo primo Panegyricorum.

In Elogiis Hiſtoricis Sanctorum. Tomo 2. reperies elogium S. Pauli.

In Specimine Orationum Panegyricarum tria habes compendia Sermonum in Apoſtoli hujus converſionem.

In tomo vero primo, & altero ejuſdem Libri, tria item invenies in feſtum diem S. Pauli.

Engelgrave in diem feſtum S. Petri & Pauli.

Polianthea Sacra. *Titulus S. Paulus*. Qui collectanea ediderunt hujus argumenti.

Fabri Conciones in feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

Procemium Cornelii a Lapide in Epiſtolas D. Pauli.

Prolegomena Benedicti Juſtiniani in omnes ejuſdem Pauli Epiſtolas.

Liber, cui titulus: *S. Pauli Apoſtoli Sanctitudo a Claudio de Auſquio Canonico Tornacenſi.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, figuræ, & applicationes Scripturæ huic Argumento.

VAS electionis mihi eſt iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael. Act. 9.

Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos. Ibidem.

Subito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?

Tremens, ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere? Ibidem.

Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Ibidem.

Confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum recepit. Ibidem.

Saulus multo magis convaleſcebat, & confundebat Judæos; qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus. Ibidem.

Quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, Miniſterium meum honorificabo. Ad Rom, 11.

Paulus

Paulus Servus Jeſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei. Ibid. c. 1.

Non erubeſco Evangelium, virtus enim Dei eſt omni credenti. Ibidem.

Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? &c. Ibid. cap. 8.

Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare a Caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ibid.

Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum & hunc crucifixum. 1. Cor. 2.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Ibid. c. 9.

Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Ibid. c. 15.

Omnibus omnia factus, ut omnes facerem ſalvos. Ibid. cap. 9.

Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. 2. Cor. c. 4.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. 2. ad Corinthios c. 12.

Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. Ibid. c. 7.

Multa mihi gloriatio, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Ibidem.

Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Ibid. c. 12.

Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. 1. Cor. cap. 15.

Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt Gratia in Gentibus, evangelizare inveſtigabiles divitias, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti a ſæculis. Ad Epheſ. 3.

Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Ad Philipp. 3.

Secundum æmulationem perſequens Eccleſiam. Ibid.

Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Ad Philipp. 4.

Audivi arcana Verba, quæ non licet homini loqui. 2. ad Cor. 12.

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus. Ad Coloſſ. 1.

Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti in corpore meo porto. Ad Galat. c. 6.

Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Ibid. c. 2.

Abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Ibid. c. 1.

Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo Ibid. c. 6.

Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei. Ibidem cap. 1.

Optabam anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis. Ad Rom. 9.

Evangelium noſtrum non fuit ad vos in Sermone tantum, ſed in virtute, & in Spiritu Sancto. 1. ad Theſſ. cap. 1.

Omnia ſuſtineo propter Electos. 2. ad Timoth. c. 2.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. 2. ad Timoth. 4.

Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam vos in viſceribus Jeſu Chriſti. Ad Philipp. c. 1.

Tamquam purgamenta hujus Mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc. 1. ad Cor. 4.

Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Ibid.

Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione virtutis, ac ſpiritus, ut fides veſtra non ſit in Sapientia hominum, ſed in virtute Dei. 1. ad Cor. 2.

Paulus vinctus Jeſu Chriſti. Ad Epheſ. 3.

Exempla, & figuræ, e Bibliis deprompta.

Prophetia Jacob & Benjamin, videtur eſſe figura S. Pauli ante, & poſt converſionem illius. SAnctus Patriarcha Jacob antequam animam efflaret, omnes filios ſuos collegit; & antequam illis benediceret, cæleſti afflatus numine, ac propheticis verbis prædixit, quidquid ſingulis eſſet eventurum. Sed S. Auguſtinus ea, quæ Sanctus hic Patriarcha dixit Benjamin filiorum ejus minimo, tamquam de S. Paulo dicta putat: *Benjamin lupus rapax, mane rapuit prædam, & veſpere dividit eſcas.* (Geneſ. 49.) Non ſatis liquet quomodo ad Benjamin, qui parenti ſuo jucundiſſimus erat, & quem Scriptura nullibi ait, rapinam, vim, aut cædem aliquam feciſſe, referri poſſit character Lupi rapacis, prædam abripientis, & illam non quidem vorantis, ſed dividentis. Hoc autem quadrat ad unguem S. Paulo, qui cum eſſet ex Tribu Benjamin, *mane* hoc eſt re adhuc integra fuit vere lupus rapiens, ut quod ipſe teſtatur de impotentia ſua adverſus fideles ſatis oſtendit, & *veſpere*, hoc eſt poſt converſionem ſuam, ex illis, quos perſecutus eſt, agit triumphum, beatamque ad majorem Dei gloriam retulit prædam. Figura hæc, vel interpretatio articuli hujus ex Teſtamento Jacob, qua primus omnium uſus eſt S. Auguſtinus, a pluribus aliis Sanctis Patribus fuit adoptata.

S. Paulus videtur primum ſecutus exemplum ejuſdem Antiochi, de quo ſermo eſt libro ſecundo Machabæorum. Antiochi Regis exemplum, de quo ſermo eſt ſecundo Machabæorum libro, eſſe videtur quædam veluti imago perſecutionis, qua Saulus ſtatim Chriſti fideles exagitavit, & merebatur proculdubio ſupplicium illi par, quo impius ille Princeps affectus fuit, niſi alterum quidem propoſuiſſet Deus tamquam ſeveritatis juſtitiæ ſuæ exemplum, alterum vero exemplum ſuarum miſericordiarum. Videte utriuſque hujus perſecutoris exitum. Hiſtoria præter propter idem de furenti Rege illo narrat ac de S. Paulo Sanctus Lucas dixit. Hoſtis erat Religionis Judæorum, non ſecus ac S. Paulus Religionis Chriſtianorum. Ille minitabatur ſe Jeroſolymam in civium ſuorum ſepulcretum converſurum. Saulus ſimili furore Damaſcum proficiſcebatur, ut perderet quoſcumque utriuſque ſexus Chriſtianos nanciſceretur. Par ſcelus pari videtur ſupplicio mulctandus. Antiochus feſtinans Jeroſolymam iter convertere viſcerum ſæviſſimo dolore correptus, de curru decidit; & omnia fere ſua membra confringit. Hinc ulcera, & plagæ oborta ſunt, e quibus vermes ebullientes manabant, ita ut propter non ferendum putorem vix reperiretur qui æquo animo illum vellet geſtare. Se ſe humiliavit ille. Deumque oravit, ut ſibi parceret, vi doloris actus; ſed nihil profuit. Paulus tanto Chriſtianos odio perſequebatur, quanto Rex ille Judæos: percuſſus fuit non quidem incurabili plaga, ſed ea cæcitate, quæ aliquandiu permanſit, oculoſque illius ita perſtrinxit, ut nihil videret. *Audivit ille vocem de Cælo ſibi dicentem, Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ægre ille ceſſit veritati, ſed ceſſit, ſe humiliavit, paruit voci, & quidquid ſibi imperatum fuit adimplevit. Ecce igitur illum ex perſecutore Chriſtianum factum, ex infideli fidelem, ex lupo agnum. Duo iſti perſecutores æque nocentes ſunt; tamen Antiochus orat, veniam petit, & morte punitur. Saulus primum quidem reſiſtit, ægre victas dat manus, & ut vita frui poſſit, illi permittitur. Ille reprobatur, hic eligitur. Si quæſieris, cur adeo varie excipiantur duo æque criminoſi, in promptu eſt quod reſpondeam: *O homo! tu qui es, qui reſpondeas Deo?* & Pſalmiſta: *Judicia Dei abyſſus multa.* (*Ad Rom. 9. Pſ. 35.*)

Comparatio, quam S. Spiritus facit inter nubes & Apoſtolos S. Paulo peroptime quadrat. Norunt omnes nubem ſimplicem eſſe vaporem, quia Sole elevatur ab humo calore radiorum ejus. Nil obſcurius, nil humilius ſimplici vapore. Tamen cum vapor iſte aſcendit, concrevitque, in ſe continet fulgura, tonitrua, pluvias. Agitaturne ventis? ſcinditur: inde erumpunt tempeſtates, atque procellæ, quæ hominibus ſtuporem & agris ubertatem immittunt. Hæc eſt ſatis apta figura Apoſtoli S. Pauli facti inſtar nubis fecundæ attractæ gratia Salvatoris de urbe in urbem, & de regione in regionem tranſeuntis, ut ibi effundat pluvias, & benedictiones Cæli. Et profecto validus Spiritus Sancti flatus illum transfert de Græcia Achajam, in Italiam. Ibi nubes hæc magno cum fremitu ſcinditur; in eas regiones affert tonitru verbi Dei: ibi Evangelium annuntiat, ibi inanium Deorum aram ſubruit. Legem gratiæ prædicat illis, qui naturæ legem ſequebantur; peccatores convertit; docet eruditos ſcientiam prorſus novam, & quod portenti inſtar eſt, unus imbecillus homo, ſed Dei ſpiritu animatus infra annorum triginta ſpatium convertit Romanos, Perſas, Medos, Scythas, Græcos, Samaritanos. *Hæc mutatio dexteræ excelſi.*

Gratia, quam recepit S. Paulus in raptu ſuo, præferenda eſt illi, quam acceperunt Apoſtoli, qui interfuerunt Transfigurationi Salvatoris. Tres Apoſtoli, qui aſcenderunt in Thabor peculiari privilegio viderunt Salvatoris gloriam & Transfigurationis nitorem. Bona vero, quibus raptu in ſuo gaviſus eſt S. Paulus, longe glorioſiora fuerunt; penetrat ipſam Divinitatem, ut aſſequatur ſecreta omnia, quæ Deus illi voluit revelare: *Arcana Verba, quæ non licet homini loqui*, quemadmodum ipſe teſtatur. Dilectus quidem Diſcipulus ſupra pectus Salvatoris diſcubuit, verum ſupra pectus Sanctæ illius Humanitatis; ſed S. Paulus recubuit in interiori parte ipſius Divinitatis. Ne miremini ergo amplius ultra, quod hoc vas electionis adeo ubertim communicet hominibus ſecreta cæleſtia, quæ ex Dei ſinu hauſerat. (*2. Cor. 12.*)

S. Pauli zelus pro Dei gloria, & fratrum ſuorum ſalute præſtat zelo Phinees & aliorum in lege veteri. Scriptura nobis exhibet Phinees, & Mathathiam tamquam duo zeli abſolutiſſima exempla. Vident legem violari in re gravi, id pati nequeunt, ac prævaricatores confodiunt. Moyſes ipſe, qui precibus Deum fatigat ut Iſraelitis parcat, & qui ob id de viventium libro deleri cupit, ad Iſraelis Idololatriam expiandam tria hominum millia jubet interfici. Hi zelatores zeli ſui ſitim alieno explent cruore. Sed quam longe præſtat S. Pauli Zelus his veteris Teſtamenti zelotibus! Hujus zelus in ipſum agit tantummodo; illum exſiccat, abſumit, depaſcit, & ut aliis parcat, ſuum ſanguinem, animam, vitamque ipſam effundit. Quam procul a Sancti hujus Apoſtoli zelo noſter abhorret! Non dico jam, Fidelium vulgo zelum, ſed eorum qui tenentur præcipue imitari S. Paulum, propter conditionem ſuam & characterem, quo Dei gloriam tueri tenentur. Quotuſquiſque gloriam Mundi propriamque utilitatem negligentes unice ad Majorem Dei gloriam intenti ſunt?

Ad peccatores rebelles convertendos hominibus tantum vel etiam Angelis uſus eſt Deus. Sed S. Paulum ipſe convertere voluit. Cum ſubigenda fuit Pharaonis pertinacia, ſatis eſt Deo mittere Moyſem ad illum. Deſtinat Nathan ad David, Jonam ad Ninivitas, duodecim Apoſtolos ad totius Mundi converſionem. Sed cum Saulus ad Fidem pertrahendus eſt, non Prophetis neque Apoſtolis, immo neque Angelis hæc demandatur provincia, Jeſus Chriſtus, licet glorioſus, vult illius eſſe Prædicator, & Apoſtolus, ac ſe totum illi impendit. D. Chryſoſtomus inquit: *Totus conſumptus in Paulo*. Cogitate Salvatorem ipſum per ſe ad rebellem hunc oppugnandum, hoc eſt convertendum, deſcendere. Videtur ille omnes ſuas vires colligere ad adverſarium adeo terribilem evincendum. Sui autem prælii inſtrumenta ſunt lumen adorabilium oculorum ſuorum. Hæc ſe ſe illi exhibent cum Majeſtate, quæ totam efficit beatorum voluptatem: verba etiam & vox detonans fuerunt velut arma, quibus utitur ad inimicos hos ſuperandos; addit etiam vim brachii ſui; miracula operatur ut illos dejiciat, ut illis cæcitatem immittat. Neque minus quidquam requirebatur ad

victo-

BIBLIOTECA CENTRALĂ

victoriam de inimico adeo formidabili referendam; ita Salvator finem ſuum aſsecutus eſt, & Eccleſiæ ſuæ comparavit inſignem Ducem atque Victorem.

Comparatio S. Pauli cum Moyſe.

Oculos conjiciamus in Moyſem; hic eſt Paulus veteris Teſtamenti, ſicuti Sanctus Paulus novi Moyſes eſt. O quam præclara inſtitui poſset comparatio inter duos hoſce præſtantiſſimos viros! Sed illorum zelus non niſi inter ipſos exemplum, & comparationem poteſt invenire. Quam ſimilis eſt! quam par! *Optabam ego ipſe anathema eſſe*, pro fratribus meis alter ait; alter vero, *Dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* (*Exod.* 31.) Parce illis, Domine, vel ſi renuis, dele me de libro tuo. Caritas eſt hæc admirabilis, & exigit ut ad litteræ apicem hæc accipiamus Salvatoris verba: *Majorem hac dilectionem nemo habet: quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (*Joann.* 15.) Maxima dilectionis perfectio eſt, dare animam ſuam pro amico ſuo, neque ſolum vitam, ſed etiam animam ſuam pro aliena ſalute periclitari. Nonne hoc ipſe etiam Paulus innuere vult, cum Apoſtolica confidentia Corinthiis ipſorum exprobrat ingratitudinem? poſt enumeratos labores ſuos, atque mala, quæ propter illorum ſalutem perpeſſus eſt; poſtquam perſecutiones quas pertulit, oſtentavit; procedit, & ita Sermonem ſuum concludit: *Ego autem libenter impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Quaſi diceret; non ſolum ſanguinem vitamque meam vobis impendam, quod bonus Paſtor pro ovibus ſuis facere tenetur: verum *ſuperimpendar*; longius procedam; liberalis ero non ſolum corporis, bonorum, ſanguiniſque mei; verum etiam prodigus ero animæ meæ, quam, ſi mihi liceret, æquo animo objicerem pro ſalute veſtrarum. Hi motus ſunt zeli incomparabilis, qui in paucis invenitur.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum, huic Argumento.

Fructus qui percipi poteſt ex lectione Epiſtolarum S. Pauli.

D*Efunctus adhuc loquitur*, ad Hebr. 11. Sanctus Chryſoſtomus SanctumPaulum vocabat magnum librum Fidelium, ideoque etiam atque etiam Fideles hortabatur, ut divinas Apoſtoli hujus Epiſtolas perlegerent. Nihil ultra fuit opus ad Sancti Auguſtini converſionem perficiendam. Nemo neſcit, quomodo ille anceps erat conſilii: Deus illum fortiter trahebat; mundus autem retinebat: gratia illum impellebat, nullamque ei requiem permittebat: ſed cupiditas illum arcta obſidione tenebat, & habitus efficiebat, ut præclara quælibet conſilia evaneſcerent. Quid ergo opus erat, ut ille de habitu victoriam reportaret, ut contra cupiditatem reſiſteret, & a mundo omnibuſque illecebris ejus avelleretur? Nil præter id, quod vox audita docuit: ut videlicet aperiret, & legeret Epiſtolas Sancti Pauli: *Tolle*, *lege*: Dicto paruit: cum repente compedes ejus fracti fuerunt. Verba aliqua ex illis Sanctis Epiſtolis omnes diſſiparunt nubes mentis ejuſdem, & qui antea in omnem libidinem præceps erat; caſtus, & Sanctus evaſit. Quis vetat, ne inde eumdem fructum percipiamus? Dei Spiritus, quo Epiſtolæ illæ plenæ ſunt, non minus pro nobis eſt potens, quam fuerit olim pro Sancto Auguſtino.

Ejuſdem argumenti.

Omnia facio propter Evangelium. 1. Corinth. 9. Licet defunctus, Sanctus Paulus adhuc prædicat nobis: dicam melius, vivit adhuc in præſtantiſſimis ſcriptis ſuis: Vis ne Chriſtianiſmum, vel potius te ipſum reformare? *Tolle*, *Lege*: Non alio vobis opus eſt inſtitutore, non alio evangelii præcone, non duce, & rectore alio, quam Divo Paulo, qualem tibi offert Eccleſia, & qualem tibi illa legendum præbet. Amplius dico: viſne particeps fieri miniſterii magni hujus Apoſtoli? patres, matreſque vultiſne familias veſtras Chriſtianas fieri? Arripite moralem Sancti Pauli diſciplinam. Cura te de eadem erudiri, alioſque erudire. Relictis tot parum caſtis voluminibus, tot voluminibus impiis, repletiſque obtrectationibus, inficetis, obſceniſque rebus, vocibuſque, vel ſaltem inutilibus, inanibuſque, illum amplectimini, & brevi meritum, & efficientiam illius cognoſcetis. Liber hic peculiari ſanctifisationi & veſtræ, & familiarum veſtrarum mirifice proderit.

S. Paulus ſuſtinet cruces, & labores cogitans ſe eos pati ut Salvatori animas lucrifaciat.

Omnia ſuſtineo propter electos. 2. ad Timoth. 2. Hæc erat cauſa, quæ Gentium Apoſtolo ſuaviſſimas efficiebat cruces; Hæc illas adeo pretioſas reddebat; quia per has lucrabatur animas, & animas prædeſtinatas, pro quibus beatum ſe putabat, ſi quid ſuſtineret. Sed notate verba illa: *Propter electos*; nam ipſe per ſe mirum in modum, Sanctus Chryſoſtomus ſequitur, dilectus fuiſset; in honore habitus, & ab omnibus obſervatus: ſed propter electos trahendus erat odio, contemptui, execrationi; neque enim aliter eſse poterat cooperator ſalutis eorum, & hoc fortitudinis ejuſdem fervorem alebat. Vado in Jeruſalem, ajebat ille, ea quæ mihi eventura ſint neſcio, niſi quod in omnibus civitatibus, per quas tranſeo, Dei Spiritus oſtendit mihi, dolores, ac tribulationes me illic manere: Sed nil horum reformido, & vitam meam deteriorem habeo, dummodo conſummem curſum meum, & eo perfungar munere, quod mihi Dominus Jeſus impoſuit.

Gloriatur S. Paulus in tribulationibus tamquam unica re, de qua liceat gloriari.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. 1. ad Cor. 12. Ex Divi Pauli ſententia, Tribulationes unum illud ſunt, de quo in hac vita liceat gloriari; tamquam de ſinceriſſimæ, atque integerrimæ caritatis argumento. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini.* (*ad Gal.* 6.) Ideo Apoſtolus prolixam inſtituit ærumnarum, & perſecutionum quas ſuſtinuit enumerationem; ideo narrat itinera, vincula, carceres, naufragia ſua; ideo jactat ſe flagellis cæſum fuiſse, lapidibus obrutum, ad judicum ſubſellia raptum; ideo tandem oſtendit ſuarum paſſionum cicatrices tanquam totidem ſpecioſiſſimos titulos honoris. *Stigmata Domini Jeſu Chriſti in corpore meo porto.* (*Ibid.*) Heu! Unde nam oritur, quæſo, ut Apoſtolus adeo humilis, ita ut loquendo de ſuis laudibus moderatus, ut homo, qui metuit, ut reprobetur, poſtquam univerſum convertit orbem, & qui peccatorem omnium maximum, atque nequiſſimum ſe eſſe arbitratur; undenam inquam oritur, ut audacter jactitet ſuas propter Deum tribulationes tamquam totidem triumphos? *Quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor*, (2. *ad Cor.* 12.) quia, iterum dicam, quia hoc unum illud eſt, ex quo licet gloriam ſibi vindicare, quia unum hoc vere glorioſum eſt, & perfectam indigitat integritatem. Hinc ſequitur, ut licet oſtendere palam, a nobis amari Deum, amoremque noſtrum teſtari; immo fieri nequit, quominus hic amor foris effulgeat, ſi verus eſt: licere conſequenter hujus teſtimonia producere, quæ ſunt tribulationes: tribulationes, quæ palam oſtendunt amorem hunc omni ſimulatione eſſe vacuum, & præ alio quovis integerrimum non ſecus ac ardentiſſimum: *Libenter gloriabor: mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini.* Vanitas, quæ omnibus operibus bonis adhæreſcit, & quæ vermis inſtar omnem eorum fructum depaſcit, parcere videtur tribulationibus: quia illarum effectus eſt, nos Deo coram demittere, & ſub juſtitiæ illius manu humiliare; cum ipſa etiam confuſio, & humiliatio numerentur inter illas tribulationes, quas nobis immittit Deus ad auferendam illam cordis intumeſcentiam, quæ in proſperis inflat. Præterquam quod ſuperbia in tribulationibus eſt, ut dicam, extra elementum ſuum: immutanda eſſet hujus vitii natura, non ſecus ac uſus, ſi quis conetur illud opprobriis, dejectionibus, ac doloribus alere inauditum eſt, ac portento ſimile videre hominem ſuperbientem, qui incidit in paupertatem, quia ſe videt miſeriis obrutum, derelictum, exagitatum, ac mundi totius ludibrium factum. Hoc potius efficit ut noſmet colligamur, ut omnes vanitatis ſenſus jugulemus, ut unice gloriam noſtram in Deo quæramus, propter illius amorem patientes, eique per noſtras tribulationes teſtantes puriſſimum integerrimumque amorem, quia non humanis laudibus, plauſibuſque fulti, Deum unice intuemur tamquam objectum, & cauſſam.

S. Pauli converſio imago eſt eorum, quæ facit Deus pro peccatorum confeſſione, & eorum quæ facere debent peccatores, ut reſpōdeant voci Dei ipſos vocantis.

Quis es, Domine? Act. 9. Sancti Pauli Converſio eſt non ſolum imago eorum, quæ ad peccatores convertendos operatur Deus: verum etiam eorum, quæ a peccatoribus facienda ſunt, ut ſe vere convertant ad Deum. Primum audit vocem Dei vocantis, quoniam hac voce perculſus quærit: *Quis es, Domine!* Deus ad peccatorem verba facit per ſtimulos conſcientiæ ſuæ, atque conſiderationem vitæ in ſceleribus anteactæ, ſubitas mortes, prædicationes patheticas, ac repente irruentes ærumnas. Sed opus eſt, ut peccatores accommodent aures voci Dei, ut illam conentur diſtinguere; & interiorem hanc vocem cognoſcere ſibi loquentem inter tomultum ſuarum cupiditatum, vitæque profanæ. Dicant, opus eſt, cum Apoſtolo: es ne tu Domine, qui loqueris? Sed vulgo quin ſalutari huic voci aurem præparemus, eamdem ſuffocare adnitimur; Mundi tumultus, ac ſtrepitus nobis, ut ita dicam, ſtuporem immittit; diſſipamur, a nobiſmetipſis pro virili ſecedimus, ne cogamur audire importunam hanc vocem, quæ pacem infelicem perturbat, qua frui cupimus inter ſcelera noſtra; vel ſi Dei vocem audimus, hoc præter propter facimus letargici inſtar, qui in ſoporem, ac ſurditatem ſuam recidit, ſtatim ac acutis clamoribus, quibus aures ejus excitatæ fuerunt, fuit expergefactus. Ita pœnitens ajebat Propheta, ſe in peccati ſtatu aliquam audiviſſe vocem, qua identidem ſollicitabatur; ſed inter ſecretas turbas, quæ paulliſper conſcientiam ſuam excitabant, adhuc tamen dormiſſe perinde ac leves illi aculei ſatis non fuiſſent, ut eos ex hoc iniquitatis ſomno ipſum excuterent: *Dormivi conturbatus.* (*Pſ.* 66.) Dei loquentis vocem non ſolum Paulus audit, ſed illa hunc turbat, obſtupefacit, terret: *tremens, ac ſtupens dixit.* Timoris turbæ, Sanctus Auguſtinus ait, nos ad pacis caritatem adducunt. Quanti ſtat peccatori novi hominis parturitio! hic Pater ait, quam generalem inverſionem parit gratia in anima pœnitente, quantam ciet agitationem! Quot tempeſtates, atque procellæ beatam hanc tranquillitatem præcedunt, quæ ſinceras, veraſque ſequitur converſiones! Paulus ad Domini vocantis vocem tremens, ac ſtupens præ ſalutari metu, quo agitatur, exclamat, *Domine quid me vis facere?* (*Act.* 9.) Non ſatis eſt Dei judicia vereri; delinienda eſt ejus juſtitia ſincera præparatione ad recipienda omnia flagella, quibus nos voluerit affligere, ad amplectendas mortificationes, & omnia bonorum operum genera aggredienda, ut præterita ſcelera expientur. *Domine, quid me vis facere?*

Varii effectus divini Verbi in S. Pauli Converſiōe conſpecti.

Vox Domini in virtute, vox Domini in Magnificentia Pſalm. 28. Varii effectus, quos David tribuit voci Dei, omnes in Sancti Pauli perſona apparuerunt. *Vox Domini in virtute, vox Domini in Magnificentia*, numquam Dei gratia magis victrix, aut fortis viſa eſt, quam in hac occaſione. *Vox Domini confringentis cedros libani*; fregit ſuperbiam hujus inimici; ac dolore contrivit animam ejus. *Vox Domini dividentis flammam ignis*; abſtulit illi quidquid noxium atque violentum erat in furore ejus, ut illuminatum, ardentemque zelum in

eo tantum relinqueret: *Vox Domini concutientis deſertum*, nemo unquam mortalium adeo vehementer turbatus, & conterritus fuit, ac ille. *Vox Domini præparantis cervos*; & ut Sanctus Auguſtinus ait, Dei Miniſtris admirabilem agilitatem tribuentis; nemo unquam mortalium, æque celeriter atque ille præparatus fuit, atque novo miniſterio perfunctus.

Cur S. Paulus mortificet corpus ſuum hac in re imitandus ab omnibus.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. 1. Corinth. 9. Vita tot laboribus exercita, tot perſecutionibus agitata, qualis erat Sancti Pauli vita nonne ſatis magna erat pœnitentia? Si quid vitium huic Apoſtolo ſupererat, illas in voluntarias mortificationes debebat impendere? Poterat ne ille valetudinem ſuam, Evangelio adeo pretioſam atterere? Quantumcumque Crucem diligeret, nonne illi ſufficere debebant illæ, quæ mittebantur a Deo, quandoquidem ſatis erant, ut in jugi mortis ſtatu viveret? Ita mundi Spiritus argumentantur, atque ita quotidie ipſi noſmet excæcamus. Sed Sanctus Paulus non ita cenſebat, ſatis illi non erat, ſi alii ipſum perſequerentur, niſi & ille ſe ipſum perſequeretur; ſatis non erat ſi alii eum odiſſent, niſi & ille ſeipſum odio haberet; ſatis non erat ſi mortificatus eſſet, niſi ſeipſum mortificaret. Quid igitur ille? Heroico huic patientiæ ſacrificio, alterum addit pœnitentiæ: caſtigans ſingulis diebus corpus ſuum, illud in ſervitutem redigens, efficiens, ut illud jugiter mortificationem J. C. circumferat, adimplens in carne ſua ea, quæ paſſionum Domini deerant. Quorſum autem? Sanctus hic Apoſtolus caſtigat corpus ſuum; timet enim, ne cum tamquam Apoſtolus aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur; & adimplet in carne ſua ea quæ deſunt paſſionum Chriſti non ſolum pro ſe, ſed *pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*, (*ad Col.* 1.) videlicet pro Miniſterio ſuo, quo tenetur apud Deum fidelium omnium ſalutem procurare. Terribiles cogitationes, & quæ meditationum noſtrarum juge eſſe deberent argumentum. Sanctus Paulus ex corpore ſuo pœnitentiæ victimam fecit, ne reprobus fieret; vir iſte confirmatus in gratia, cui nihil ſua conſcientia exprobrabat; ego vero peccator, omnium cupiditatum ludibrium, meo corpori parcam, inter delicias verſari ſinam, omnia illi concedam; & quin illud in ſervitutem redigam, ipſe illius ero mancipium, ideoque vivam ſine ullo ſalutis meæ timore, ſine ſtimulis, ſine religione? Hic error eſt æque perniciofus, ac injuſtus. Igitur nil confidam, niſi ad exemplum illius pœnitentiam exercuero.

Ejuſdem argumenti.

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus. Ad Coloſ. 1. Credidit Sanctus Paulus ſibi adimplenda eſſe ea quæ deerant paſſionum Chriſti; ſibique in carne ſua perferenda eſſe, quæ Mundi Salvator in ſua non pertulerat. Ad hujus muneris magnitudinem aſſequendam, ſciendum eſt, Dei Filium peroptaſſe Patri ſuo prorſus ſatisfacere, cumque ſatis illi non videretur omnia quæ in naturali corpore ſuo pertulerat, ſibi adjunxiſſe corpus myſticum, in membris cujus adhuc quotidie patitur. Juxta hoc deſiderium lapidibus obrutus fuit in Sancto Stephano, feris objectus in Sancto Ignatio, ſuper cratem ferream aſſatus in Sancto Laurentio. Sed ex illis omnibus, quos ad moleſtum adeo conſilium explendum ſibi ſocios elegit, nemo impenſius Sancto Paulo, vel impoſitam ſibi provinciam hanc ſenſit, vel illam fidelius procuravit. Ideo hoc impulſus deſiderio, omnes patiendi occaſiones perquirit; de civitate migrat in civitatem, omneſque luſtrat provincias, ut adimpleat in carne ſua ea quæ deſunt paſſionum Magiſtri, & Domini ſui. Vidiſſetis illum vinculis ferreis conſtrictum, flagellis percuſſum, plagis confectum gloriari de paſſionibus ſuis, ac beatum ſe judicare, eo quod votis Jeſu Chriſti faciebat ſatis. Nam perinde ac vellet celebrare magnitudinem amoris, quo Dei Filius homines proſequitur, dicebat, ex Sancti Chryſoſtomi ſententia, ne putetis paſſionem Domini omnino eſſe adimpletam; pro vobis etiam poſt mortem ſuam patitur; & amor ejus majori pollens induſtria, quam ſævitia tortorum, viam illi aperuit producendi paſſiones ſuas, ac in membris perferendi, quod in perſona ſua perferre non potuit.

Generoſitas S. Pauli, qui ſeſe offert ad omnia agenda, & perferenda, ut Dei voluntatē perficiat.

Domine, quid me vis facere? Act. 9. Sanctus Paulus paratus eſt ad omnia aggredienda, exequenda, & perferenda: his verbis converſionem ſuam integram, atque perfectam oſtendit. Verba brevia, ſed plena, ſed vivida, & efficacia, Sanctus Bernardus addit. Quam longe ab hac Chriſtiana generoſitate diſtamus? Quis nobis in ipſo converſionum noſtrarum aditu nobis proponeret tabulam omnium difficultatum, quæ in pœnitentia occurrunt? Quis nobis omnes indigitaret triſtes auſteræ, & laborioſæ vitæ locos? Hic tamquam hypocrita habeberis; illic cubili tamquam cruci affixus ardentiſſimæ febris æſtu torqueberis; hic filium amittes, ex quo tibi idolum facis; illic ſecreta conjuratione fortunas tuas everti videbis. Quam metuendum eſſet, ne prompta, fataliſque deſperatio iterum nos in mundum rejiceret, efficeretque ut in terrore noſtro ea diceremus, quæ inertes illi, de quibus in Scripturis ſermo eſt: Leo eſt in via, & imprudentis eſt viam ingredi tot obſitam periculis, & difficultatibus! Divinæ providentiæ effectus eſt, nobis mala noſtra abdidiſſe, ac noſtram pœnitentiam gradatim nobis aperire, ne repellamur, & ne iterum ad mundi ſequelam revocemur. Deus paterna benevolentia timores noſtros partitur, noſtræque parcit infirmitati auferens eorum, quæ funeſte eventura ſunt, cognitionem.

S. Paulo oſtenditur quidquid in miniſterio ſuo paſſurus eſt propter Dei gloriā.

Perſequemini de Civitate in Civitatem. Matth. 23. Hoc Dei Filius Apoſtolis ſuis dixerat, futurum ut de civitate in civitatem eos perſequerentur, & ipſos omnes homines odio haberent: Eccleſia in Calvario nata, & in lucem in cruce edita, creſcere, ac roborari non niſi in tribulationibus poterat; & non niſi ſanguinem ſuum fundentes, poterant Apoſtoli extollere ædificium, quod Salvator ſuo ſanguine poſuerat. Statim ac Sanctus Paulus aggreſſus eſt munus Apoſtolatus, cujus antea perſecutor fuerat, omnes undique illum perſecuti ſunt. Dei Filius non egit cum illo, quomodo agere conſuevit cum filiis imbecillibus, quos lacte conſolationis, ac ſpiritualibus deliciis aſſuefacit ad crucis ſuæ jugum paullatim deferendum. Statim aperuit illi ſtadium tribulationum, & ærumnarum; illi oſtendit quanta pro gloria nominis ſui eidem perferenda eſſent, ac repente auferens velum, quo futura tegebantur, exhibuit illi tetricam imaginem laborum ab ipſo perferendorum, atque effecit ut omnia ſimul ſentiret, quæ per partes erant toleranda, quin hæc tribulationum congeries illum deterreret. E contra cor illius paratum eſt ad omnia pro Salvatore ſubeunda, & ipſe ultro petit, quid a ſe fieri velit; *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* 9.) Et ſane Damaſci converſuſne eſt? Civitas univerſa in illum inſurgit, ac pertinaci animo ejus ſanguinem poſcit. Petitne Theſſalonicam? conjuratio fit in illum quorumdam devotarum mulierum. Lycaoniam ingreditur? lapides in illum tamquam omnis juſtitiæ inimicum conjiciuntur. Concedit Athenas? in Philoſophorum illorum vertitur ludibrium? Adit Jeroſolymam? Urbs hæc tot Prophetarum cæde nobilis, Apoſtoli hujus morte ſceleribus ſuis cumulum addere conatur. Romam venit? illic tot cruciatus ſuos glorioſo Martyrio coronat.

Optabam ego eſſe anathema pro fratribus meis. Ad Rom. 9. Verbum hoc illico ſtuporem incutit audientibus; & parum abeſt, quo minus imprudentis zeli, vel ut ipſe ait, ſine ſcientia accuſetur. Quid ergo Sanctus Paulus aſſenſus eſt, ut a Jeſu Chriſto ſejungeretur? ita eſt. Aſſenſus quidem eſt propter Dei gloriam, & proximi ſalutem; verum modus ignorandus non eſt. Confugiendum non eſt ad mitiores interpretationes; neque cum Sancto Hieronymo dicendum illum de corporis tantum ſeparatione loqui, quæ per mortem fit; ipſumque optare dumtaxat ſanguinem ſuum pro fratribus fundere; neque cum recentibus quibuſdam ſentiendum, ipſum optare anathema eſſe, quatenus verbum hoc ſignificet aliquid ab uſu & hominum commercio remotum, hoc eſt, omni humana, ac civili ſocietate privari. Non eſt cur propoſitionem hanc lenire velimus antidoti loco addentes; *Optarem, ſi fas eſſet.* Profecto ſi id unum agitur, ut naturalem horum verborum ſenſum probemus, hoc nullius laboris eſt, atque difficultatis; quoniam S. Paulus teſtatus ſuum dolorem eo quod optaverat anathema eſſe pro fratribus ſuis nil aliud innuit ex optimorum interpretum ſententia, niſi quod falſus legis ſuæ zelus eum Jeſu Chriſti inimicum effecerat, ita ut mereretur in æternum ab eo ſeparari, juxta vim vocis *anathema*. Sed cum nonnulli Sancti Patres, plures vero Concionatores hoc Sancti Pauli verbo ad Caritatis ejuſdem magnitudinem innuendam utantur, quaſi ille optaſſet a Jeſu Chriſto divelli, dummodo ſaluti fratrum ſuorum conſuleret, eodem modo quo Moyſes petebat, ut de vitæ libro deleretur, dummodo Iſraelitis parceret: utriuſque deſideria in hyperbolico ſenſu interpretanda ſunt, dicendo, utrumque voluiſſe dumtaxat zeli ſui magnitudinem profiteri. Quod autem ad Moyſis verba pertinet, facile eſt reſpondere Magnum hunc legiſlatorem non aliud petiiſſe, quam ut pro fratribus moreretur; & deleri de vitæ libro non ſignificare aliud, quam deleri de numero viventium; non quidem vita æterna, ſed ea vita, quam Deus rebelli populo auferre volebat.

Blaſphemus fui, & perſecutor: ſed miſericordiam ſuam conſecutus. 1. ad Timoth. 13. Nobis licet peccatoribus deſperandum non eſt; quoniam Saulus peccatorum omnium nequiſſimus tot ſcelerum veniam non obtinet, niſi ut plenam nobis immittat in Dei miſericordia confidentiam: (*Ibidem* 16.) *Ut in me primo oſtenderet omnem patientiam &c.* Cui noſmet præferre poſſumus videntes hunc perſecutorem Eccleſiæ, hunc Sancti Stephani homicidam, eodem Stephano majorem fieri per gratiam Apoſtolatus? Jeſus Chriſtus miſertus eſt illius, ut in illo ſua eniteſceret patientia, & ut illum efficeret ſolatium, & exemplar eorum quos vocaret ad fidem, poſtquam enormia ſcelera perpetraſſent. Non expectavit Dominus, juxta Sancti Chryſoſtomi (*Hom.* 13.) animadverſionem, donec illius deſerveret furor; in excitatiſſimo furoris igne illum aggreſſus eſt, ut admirabilior effulgeret potentia ſua, perinde ac Medici ars magis elucet, cum febrim tempore maximi æſtus curat. Nemo igitur peccator, licet derelictus, non deſperet de ſalute ſua: exemplum miſerationum Salvatoris erga Saulum magnum eſt confidentiæ argumentum. Verum ſi illum ſceleribus noſtris imitati ſumus, ne ceſſemus in Dei bonitate confidere, qui proculdubio miſerebitur noſtri, ſi Saulum in ipſius pœnitentia ſecuti fuerimus.

PARAGRAPHUS V.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

V*Ocatus eſt Paulus nullis præcedentibus meritis, ſed multis obſtantibus demeritis*, S. Auguſtinus lib. de gratia, & libero Arbitrio.

BIBLIOTECA CENTRAL

Si Sanctus Stephanus non oraſſet; Eccleſia Paulum non haberet. Idem Serm. 1. de Sanctis.

Apoſtolus Paulus ex perſecutore Chriſtianorum, annunciator factus eſt Chriſti. Idem Serm. 10. de Sanctis.

Ex perſecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoſte miles. Idem ibid.

Suſtinuit Paulus multo plura mala, quam fecerat. Idem in Pſ. 36. Serm. 2.

Quod fecit Saulus, patitur Paulus; quod fecit perſecutor, patitur prædicator, quod fecit lupus, patitur agnus. Idem Serm. 1. de Sanctis.

Dum Paulus quærit minuere numerum Chriſtianorum; etiam ipſe acceſſit ad numerum Confeſſorum. Idem Serm. 10. de Sanctis.

A quo patiebatur Chriſtus, patitur pro Chriſto, fit Paulus ex Saulo, qui ſpargebat, colligit, qui oppugnabat, defendit. Idem homil. 4. ex 50.

Paulus Vas electionis, doctor Gentium, tuba Chriſti. Idem Epiſt. 89. ad Hilarium.

Occiſus eſt inimicus Chriſti, ut vivat Diſcipulus Chriſti. Idem.

Cæcitate Paulus percutitur: & intus illuminatur. Idem.

Pauli vocatio Eccleſiæ firmitudo eſt. Ambroſ. lib. de Iſaac cap. 4.

Non ſolum hunc Deus Magiſtrum dedit gentibus, ſed etiam Angelis. Idem in Paulum.

Dicitur Paulus vas electionis, nempe quia Legis, & Scripturarum erat armarium. S. Hieronym. ad Paul.

Cor Chriſti, Cor Pauli. S. Chryſoſt. homil. 32. in Epiſt. ad Roman.

Non peccaverit quis, ſi cor Pauli mare, ac Cælum dixerit, tum ob puritatem, tum ob profunditatem. Idem Homil. 55. Acta Apoſtol.

Cum vas electionis effectus eſt Paulus, largiſſime in eum Sancti Spiritus munus effuſum eſt. Idem homil. 1. de Laud. S. Pauli.

Parumne hoc eſſe putat, quando Paulum Apoſtolum dixerit? Statim illum omnes cogitant, ſicut appellato Baptiſta Joannem. Idem Homil. 55. in Actor.

Si Pauli zelum inſpicias, tanto illum invenies celſiorem, quanto Elias ceteris Prophetis eminebat. Idem ibidem.

Suſtinuit naufragium, ut naufragium totius orbis auferret; noctem & diem in profundo maris fuit, ut a profundo erroris extraheret. Idem ibid.

Laudarunt te, Domine, omnes Angeli cum aſtra creares, & Solem: verumtamen non ita quemadmodum cum Paulum nobis toto orbe conſpicuum faceres. Idem Serm. 4. in Epiſt. ad Philipp.

Jeſus totus in Paulo conſumptus. Idem ibid.

Cæleſtis anima, & lingua orbis. Idem homil. 3. in Geneſim.

Paulus Caritate ſuccenſus totus factus eſt Caritas. Idem Homil. 3. de laudibus Pauli.

Proſtravit Chriſtus perſecutorem, ut faceret Eccleſiæ doctorem. Idem.

Os illud, per quod Chriſtus majora, quam per ſe ipſum locutus eſt. S. Chryſoſtomus.

Chriſtus omnipotentiam ſuam oſtendit in Paulo, ut omnes noſſent, eum ſanare poſſe omnes infirmitates confugientium ad ſe. S. Auguſtinus.

Epiſtolæ Pauli ubera ſunt omnium Eccleſiarum. Idem.

Non pro more temporum, ſed compendio gratiæ maturatur caritas. S. Cyprianus.

Paulus zelo legis impugnabat legem, & Dei amore in Deum peccabat. S. Chryſologus.

Paulus quem Paradiſi compotem fecit Chriſtus ante Martyrium. Tertullianus.

Hæc plane perfectæ converſionis eſt forma, quid me vis facere? O verbum breve, ſed plenum, ſed verum, ſed efficax. S. Bernardus Serm. 1. de Converſ. S. Pauli.

Converſus Paulus converſionis miniſter factus eſt univerſo Mundo. Idem ibid.

Multos adhuc vivens convertit, ſed nec adhuc ceſſat ab hominum converſione ſcilicet exemplo, & doctrina. Idem ibidem.

In memoria hujus converſionis peccator ſpem veniæ conſtituit, & provocatur ad pœnitentiam; & qui jam pœnitet perfectæ converſionis accipit normam. Idem ibid.

Magnifice in hac una converſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. Ibid.

Quis deſperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, cum Paulum audiat adhuc ſpirantem minarum ſubito factum vas electionis. Idem ibid.

Paulus vas electionis, tuba Evangelii; rugitus leonis noſtri, flumen Eloquentiæ Chriſtianæ. Hieron. Epiſt. 61. ad Pammachium.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri poſſit ex Theologia ad id pertinens Argumentum?

CUM *verba facimus de iis quæ ex Theologiæ penu depromi poteſt hoc in argumento, non eſt animus loquendi de Theologia, quam Sanctus Paulus in Epiſtolis ſuis docet, ſed ea tantum quæ ad illius perſonam referri poteſt.*

Teſtimonium quod S. Paulus perhibeit divinitati Jeſu Chriſti, cujus apertus fuerat inimicus validiſſimum erat atque invictum.

Ad ſolidam Chriſtianæ legis inſtitutionem opus erat, ut Evangelium ab eo prædicaretur Apoſtolo cujus de Jeſu Chriſto teſtimonium omnino eſſet irreprehenſibile, ab omni ſuſpicione alienum, & aptum non ſolum ad evincendam, verum etiam confundendam Judæorum incredulitatem. Hic autem Apoſtolus non ſine peculiari providentia, Sanctus Paulus fuit. Planius loquar. Cum reliqui Apoſtoli Jeſum Chriſtum prædicabant, atque in Synagogis profitebantur Jeſum Chriſtum eſſe Meſſiam a Deo miſſum, & a Prophetis promiſſum, dici poterat, illos corruptos, deceptoſque fuiſſe, quæcumque in oppoſitum proferrent argumenta, & quæcumque ad id confirmandum miracula operarentur, ſemper aliqua prætexi poterat ſuſpicionis cauſa: & cum illi fuiſſent ſectatores, atque diſcipuli aſſerti hujus Meſſiæ, mirum non erat, ſi eidem ſuffragarentur. Sed cum prodibat S. Paulus confitens nomen hujus hominis Dei, ille qui fuerat ipſius perſecutor, ille qui cognoſcebatur in Jeruſalem, quod aggreſſus erat ejuſdem ſectam exterminare, ille, qui hac de re petierat, acceperatque Epiſtolas, & qui mutatione æque ſubita ac mirabili ubique gentium prædicabat hunc crucifixum, cui crudeliter adeo bellum indixerat, eſſe Salvatorem, ac Deum Iſrael: hæc non erat præoccupatio, non avaritia, non mentis inſania, neque Legis Moſaicæ contemptus. Prorſus oppoſitum in Sancto Paulo inveniebatur. Hæc mutatio in viro, qui adeo ſcitus erat, & zelotes pro traditionibus Patrum ſuorum, procul dubio authenticum erat argumentum eorum omnium, quæ in Jeſu Chriſti gloriam prædicabat.

Operatio gratiæ in converſione S. Pauli ſubita fuit, & præter ordinem.

Quamquam operationes gratiæ in communibus peccatorum converſionibus minus colluceant; fatendum nihilominus eſt cum Sancto Paullo nullam eſſe veram converſionem, cujus principium gratia Jeſu Chriſti non ſit. Tandem enim odiſſe, quod prius amabatur, horrere, quod prius quærebatur, frangere vincula, quibus cor alligatum erat, emergere ex luto, in quo altius immergebatur, ſequi regulas prorſus oppoſitas illi, quibus antea adhærebat, hoc a nobis provenire non poteſt, & natura invenire non poteſt in ſe ipſa quomodo ſuos oppugnet errores; & licet per fidem non edoceremur per gratiam hos omnes effectus in animabus produci, ratio tamen ſatis eſſet, ut id nobis perſuaderet. Poſſumus quidem perfunctorium aliquod tædium concipere hujus mundi, & ſecreto pudore ſuffundi ob quædam ſcelera turpia: nam licet gratia ſæpe ſimiles pariat motus, ratio etiam ſola eoſdem gignere poteſt: verum ut ſicut converſionis principia, directe proficiſcantur oportet a Patre luminum, non autem a viribus propriis. Hoc autem intelligendum eſt de communibus converſionibus, ubi gratia per gradus procedit; ſed magni Gentium Apoſtoli gratia ſubita fuit, inſueta, & miraculoſa.

Quæritur utrum Dei filius cælū reliquerit, ut appareret S. Paulo, cumque converteret, an Salvator præſentiam ſuam multiplicaverit & deinde cur noluerit per ſe illū erudire ſed miſit cum ad Ananiam a quo edoceretur quid ſibi eſſet faciendum.

Theologi nonnulli quærunt, utrum Dei Filius a Patris ſui dextera receſſerit, ut deſcenderet ad hanc Sauli converſionem faciendam, an miraculoſe præſentiam ſuam multiplicaverit ita ut ſimul fuerit præſens utrobique, in cælo ac in terra, ibi ad dexteram Patris, hic ante oculos hujus peccatoris, quem volebat convertere. Sanctus Thomas, & Cajetanus cum illo, credunt ipſum corporaliter deſcendiſſe de cælo, & non ſediſſe in ſolio ſuo tunc temporis, quo ejus apparitio, & dialogus cum Saulo permanſit. Alii vero putant præſentiam illius multiplicatam fuiſſe, & quin vacuam in cælo ſedem relinqueret, realiter, & perſonaliter in terris apparuiſſe. Quomodocumque ſit, certum ſaltem eſt, & extra omnem dubitationis aleam, Sanctum Paulum vidiſſe realem ejus præſentiam, quia non ſolum, qui apparebat, reſpondit: *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris*, ſed & Ananias poſtmodum illi dixit: *Jeſus qui apparuit tibi in via*, & ipſe etiam Paulus in Epiſtola prima ad Cor. c. 2. teſtatur, ſe illum propriis oculis intuitum fuiſſe: *Noviſſime viſus eſt mihi*. Quod de imaginaria viſione intelligi nequit, quemadmodum idem S. Thomas teſtatur, ſed de reali, & quæ objectum habebat ſuis oculis præſens. Nihilominus quamvis Dominus noſter de cælo deſcenderit, eique perſonaliter apparuerit, ut frangeret ejus pertinaciam, eumque converteret; noluit tamen per ſe illum de ſua voluntate edocere, ejuſque reſpondere interrogationi: *Domine, quid me vis facere?* (*2. Cor. 15. Act. 9.*) Sed miſit illum ad Ananiam ut ab hominis ore Dei voluntatem audiret: quod oſtendit, Dei unius eſſe peccatorem convertere, illius vero regimen, & ductum, poſtquam converſus fuit Divinæ Providentiæ juſſu Paſtoribus, & Eccleſiæ Præſulibus committi. Hoc enim vas electionis a Deo electum, ut Doctor eſſet Gentium, & omnes populos erudiret, edocendus fuit ab homine tamquam Dei Vicario Damaſci, idque juſſu Salvatoris ejuſdem. Patet hinc divinæ inſtitutionis eſſe, homines dirigi, & doceri ab hominibus in via ſalutis, non ſecus ac inferiores Angeli in cæleſti Hierarchia a Superioribus Angelis illuminantur. Noluit ergo Salvator Saulum erudire, ſed per alium, quandoquidem dixit illi: *Surge, & ingredere civitatem; & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Verba, quæ palam damnant errorem hæreticorum, qui renuentes ſumere verum ſenſum Scripturarum ex ore Eccleſiæ, non alias habent rationes, quas proferant ſuperbæ hujus negationis, niſi quod non ſolum ex communi Eccleſiæ conſenſu, verum peculiari Spiritus ſancti afflatu, agnoſcunt ſanctarum Litterarum veritates, eaſque ſecernere norunt ab hominum verbis, quin cogitent ordinem a Deo in Eccleſia inſtitutum non eſſe ſingulos immediate per ſe ipſum edocere, quæ poſſet eſſe illuſionis cauſa in pleriſque, ſed erudire fideles opera Epiſcoporum, aliorumque Paſtorum, quos ipſe in Eccleſia ſua poſuit, in qua ad fidei ſeveritatem requiritur, ut alii aliis ſubjiciantur.

Privilegii & dignitas vocationis S. Pauli.

Miſſio, & vocatio S. Pauli non eſt aliis vulgo ſimilis. Ille

Ille non ab hominibus, neque per hominem, (*Ad Gal. 1.*) miſſus fuit. Hæc peculiaris electio fuit, & miſſio ſine exemplo. Hanc non obtinuit ab aliis Apoſtolis, immo neque a J. C. inter homines vivente, & regnante ad dexteram Patris, ex quo conſtitutus fuit judex vivorum, atque mortuorum, & ex quo illi data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra. Poſſumus ergo merito dicere aliquid glorioſius, ac ſublimius inveniri in S. Pauli miſſione, ejuſque Apoſtolatu, qui eſt tamquam ſpiritualis generatio J. C. fruentis cæleſti regno, quam in miſſione aliorum Apoſtolorum, quos vocavit, & ut ita dicam genuit in vitæ ſuæ mortalis infirmitate. Itaque licet ſe ipſum nominet, & reapſe ſit noviſſimus Apoſtolorum, ſecundum ordinem temporis electionis ſuæ, nihilo ſecius in vocationis ſuæ modo aliquo in ſenſu omnium eſt primus, & celeberrimus. J. C. alios velut obvios excepit, hunc quæſivit, & elegit.

Jeſus Chriſtus pro uno S. Paulo fecit quidquid pro reliquis omnibus ſimul.

Ex Sanctis Patribus non pauci mirantur, Deum pro S. Paulo feciſſe, quod ſimul pro omnibus aliis fecit. Sed ubi mecum cogito Sanctum hunc virum non communem fuiſſe J. C. victoriam, hunc unum Apoſtolum eſſe debere tot fidelium Patrem, in ipſo quodammodo contentam fuiſſe omnem Gentilium Eccleſiam, cujus futurus erat Magiſter; & Mundi converſionem eſſe debere tamquam ipſius converſionis effectum; non miror illam adeo miraculoſam fuiſſe; æquum erat, ut J. C. glorioſus illi appareret, qui J. C. crucifixum erat prædicaturus.

Deus paulatim elevat, & adducit peccatores ad perfectionē cui illos deſtinat. Si vero Paulum repente edocuit, & magnum fecit Apoſtolum.

In vulgaribus converſionibus conſuevit Deus ſenſim, & gradatim attollere peccatorem ad ejus ſtatus perfectionem, ad quem illum deſtinat. Veritates ſuas illi deinceps tradit, prout iiſdem recipiendis eum parem agnoſcit. Paulum abrumpit vitia, quibus quilibet obnoxius eſt, & per gratiæ, atque caritatis incrementa ſingulos adducit ad fines ſuos infinita caritate ſemet ſingulorum infirmitati ſubmittens. Ita alios Apoſtolos ſuos gubernavit; eorum teporem modicamque fidem corrigens, & ſpiritus ſui effuſione illorum amorem captumque perficiens. Sed cum S. Paulo, S. Chryſoſtomus inquit, non adhibet hæc temporum intervalla: repente replet illum hac virtute efficaci, quæ totum cor inſtaurat; & in ipſo converſionis momento perfectiſſimum eum reddit Apoſtolum; traducit illum repente a metu ad caritatem, ab inſcitia ad doctrinam, a zelo pro avitis traditionibus ad Evangelii prædicationem. Eccleſiam perſequebatur, illam ædificat: fidelium ſanguinem fundebat, præſto eſt, ut fundat ſuum: J. C. blaſphemabat, illum prædicat in Synagogis, atque ad tantam hanc mutationem aliquot dumtaxat dierum ſufficit intervallum.

Deus, qui ſin peccatoribus nullam invenit diſpoſitionem propter quam eorum rationem habere teneatur in ea, quam ipſis concedit juſtificatione, agnovit in S. Paulo ſemina virtutis, optimamque naturā, qua uti poſſent ad conſilia ſua adimplenda.

In peccatoris juſtificatione nulla invenitur diſpoſitio propter eam, quam Deus in eumdem immittit, e contra peccator propriæ ſaluti adverſatur, ejuſque corrupta natura illum jugiter in malum propellit: Attamen quamquam nihil in S. Paulo fuerit, quod Deum cogere poſſet, ut cum illo ſua uteretur miſericordia, præter meram gratiam ejuſdem, dicere poſſumus, Supremum hunc Dominum, qui renes ſcrutatur, & corda, qui vocat, hoc eſt, cognoſcit ea quæ non ſunt tamquam ea, quæ ſunt, per ipſa inſignis hujus peccatoris vitia, inveniſſe aliquod virtutis ſemen, aliquam probitatis ſcintillam, aliquod aureum granum in tanta arenæ copia, quod ſecrevit, & mirifice multiplicavit, ut inde conflaret vas pretioſum, ubi concluſit nomen ſuum ad omnes terrarum populos deferendum; vel potius ut loquar congruentius ad mirabiles gratiæ operationes; in hominis hujus vitiis deprehendit, mala quidem ſtudia, ſed generoſa, violenta ſed zelo plena; zelum imprudentem quidem, ſed ex quo elicuit Deus ardorem illum, quo S. Paulus deinceps eſt uſus in Evangelii, Chriſtianæque fidei propagatione. Sicuti agricolæ incultum videntes agrum ultro magnam inutilium, ac veneratarum herbarum copiam ferentem, cenſent tamen illum maximum, uberrimumque fructum allaturum, ſi excoleretur, ac bonis ſeminibus feretur, atque illum reipſa arant, occant, colunt ſpe ducti, ſe inde maximum lucrum facturos: Ita Deus ex motibus violentiſque productionibus ſpiritus S. Pauli intelligens fundum uberem eſſe, copioſius effudit in illum gratiam ſuam, cui eo eventu cooperatus eſt, ut produxerit uberrimos, ac ſaluberrimos fructus, qui unquam in Eccleſiæ agris fuerint inventi; & quod admirabilius eſt, non lapſu temporum, ſed illico ſtatim reſpondit ſpei quæ de ſe fuerat concepta.

In zelo; & fortitudine S. Pauli videtur, quomodo gratia ſeſe variis hominū ſtudiis accommodet.

Gratia ſeſe naturæ accommodat, hinc quidem illa hanc oppugnat, inde vero ſe hujus ſtudiis ſubmittit, iiſque utitur privilegiis, quæ natura conceſſit. Eædem affectiones, quæ peccato inſervierunt, poſtmodum gratiæ quoque ſubſerviunt, quæ eaſdem immutat, atque in peccatoris ejuſdem ſalutem convertit. Cupiditatum æſtui aufert quidquid in illo noxium eſt, ibique relinquit, quidquid ad Dei gloriam poteſt conferre. S. Paulus erat ignea natura, ardentique ingenio: hæc illius affectio criminis ejuſdem cauſa fuerat, cumque violenter impulerat ad Chriſti aſſeclas perſequendos, & exterminandos. Immoderato hoc ardore utitur gratia, huic aufert quidquid in eo violentius, audaciuſque invenitur, nimiam illius temeritatem frangit, & moderatur, relinquens quidquid conſtantiæ, fortitudinis, juris, æquitatis ibi inerat, ut hoc ad ignei hujus hominis converſionem utatur: extinguit in illo ardentem furorem quo agebatur ad cædem inferendam cultoribus Filii Dei, ſervat in illo quidquid zelo Apoſtolico prodeſſe poteſt, quia Deus illum ad Apoſtoli ſtatum deſtinabat; & ex mixtione horum ignium, gratiæ videlicet, & naturæ Pauli, fit hic agens, & univerſalis zelus, qui ardore ſuo omnem Apoſtolatus gratiam, & partes omnes implevit præſtantis hujus miniſterii, ad quod Mundi Salvator dignatus fuerat evocare Saulum peccatorem, ut ex eo unum ex præſtantiſſimis Eccleſiæ ſuæ Paſtoribus efformaret.

Gratia aliter agit pro ſubjectorū diſcrimine, & quomodo egerit in S. Pauli voluntatem.

Quamvis omnes peccatorum converſiones ſint gratiæ triumphi, hæc nihilominus non ſemper eodem modo operatur, & pro varietate præliorum, aliis, aliiſque utitur armis. Quædam ſunt in Dei theſauris gratiæ, quæ a S. Auguſtino *delectationes victrices* vocantur, atque a Tertulliano *Triumphatoria verba* dicuntur. Non autem quod neceſſario trahant hominis conſenſum; ſed victrix earum potentia in eo ſita eſt, quod a quibuſdam procedunt afflatibus adeo vividis, ac efficacibus, ut poſt ſuavem violentiam, quæ nihil tyrannicum ſapit, libertatem certiſſime obligent, ut ſeſe dedere debeat. Deus ita ſe reddit cordium noſtrorum dominum non ſecus ac rerum aliarum, ſuper quas hanc omnipotentem exercet voluntatem, quam omnipotentem habet ad eas, quocumque ſibi placitum fuerit, flectendas: *Habens humanorum cordium quocumque placeret inclinandorum potentiſſimam voluntatem*; Sanctus hic ait. Verum cum hi ſint non communes potentiæ; non ſecus, ac bonitatis Dei effectus; eos non exercet in communi providentiæ ſuæ conſilio. Immo credendum eſt; illis non niſi in graviſſimis occaſionibus uti, ubi de ſingulari Eccleſiæ ſuæ bono agitur; veluti cum efficiendi ſunt inſignes ſanctitate viri, quos ſingulariter pro publicis gloriæ ſuæ miniſteriis deſtinavit: cum exempli gratia ſunt ad Apoſtolatum vocandi, tunc pro his extraordinarias ſuas gratias reſervat, & ſicuti bonitatis ſuæ miraculum operatur, dum deſtinationis eorum conſilium capit, ita ad eos pertrahendos adhibet ſuæ potentiæ miraculum. Tenero hoc amore, atque his victricibus illecebris oppugnat atque trahit hodie S. Paulum Apoſtolum; & ſive illum per ſe prædeſtinaverit, ſeu preces S. Stephani cum ſanguine fuſæ electionem hanc fuerint promeritæ; certo affirmare poſſumus Salvatoris gratiam numquam magis, quam hac in occaſione triumphaſſe, cum Deus nequiſſimum peccatorem in celeberrimum Sanctum; ſæviſſimum perſecutorem, in illuminatiſſimum Evangelii Præconem, & zelo refertiſſimum Apoſtolum commutavit: quamquam hic Salvatoris triumphus communis minime ſit, & ordinis maxime particularis.

Non habuit Deus rationem naturalium qualitatum S. Pauli ut illum dignū gloriæ ſuæ miniſtrum efficeret.

Cum Dei Filius oculos in S. Paulum conjecerit, ut Eccleſiæ ſuæ inſignem faceret Miniſtrum, nequaquam illi tantam contulit dignitatem propter ea bona, quæ illi a natura inſita fuerunt, propter humanas ſcientias, ſæculique ſapientiam; quæ plerumque tam noxia ſunt quam utilia, ad ſummum vero neutra, potiſſimum coram Deo. Hujuſmodi bonis Deus uſus non eſt; opus fuit, ut vas hoc vacuum eſſet, antequam fieret vos electionis. Quamobrem dedit illi filius Dei infuſam, cæleſtem que ſcientiam, poſtquam in illo extinxit confuſam illam fallaciam, & adquiſitorum luminum congeriem, qua erat ornatus. Dei filius ipſe ſibi curam deſumit erudiendi Paulum, per gratiam ſuam eum prorſus novum hominem facit, eique patientes, ut ajunt, litteras tradit, ut non coram Judæis tantum, verum etiam Gentilibus prædicet nomen ſuum, ut illis, totique mundo aperiat œconomiam myſteriorum in Deo ab æterno latentium, & ad Mundi redemptionem ſpectantium. Dicendus ſane eſt magnus hic vir inſignibus auctus fuiſſe privilegiis, ut Salvator huic uni myſteria, alteri cuilibet ignota revelaret.

S. Paulus cæleſti lumine fuit illuſtratus, quod omnes mentis ejuſdem tenebras diſſipavit.

Sacer textus narrat S. Paulum copioſiori lumine circumſeptum fuiſſe: *Circumfulſit eum lux de cælo.* (*Act. 9.*) Exterius hoc lumen figura tantum erat luminis interioris, quo Dei filius uſus eſt ut diſſiparet tenebras improbæ ignorantiæ hujus peccatoris, eumque cogeret cognoſcere, quis eſſet, licet fallaci zelo oculi illius clauderentur. J. C. tria ingeſſit lumina in animam hanc denſa tenebrarum caligine occupatam. Primum oſtendit illi ſtatim theſauros, atque inæſtimabiles myſterii Incarnationis Dominicæ divitias. Hoc temporis puncto, propoſuit illi compendium eorum omnium, quæ de ſe Prophetæ prædixerant, ac brevi vitam, mortemque ſuam illi enarravit. Deinde excitavit in illo validam, vehementemque cogitationem, quæ eidem ſuam exprobravit temeritatem, inſolentiam, ſævitiam, verbo, peccata omnia. Tertio poſuit illi ob oculos ſummam bonitatem, ac patientiam, qui tandiu perſecutiones ejus pertulerat, & amorem, quo illum proſequebatur tunc etiam, cum ſe crudeliſſimum illius perſecutorem eſſe jactabat.

S. Paulus fideliſſime reſpondit gratiæ & ſuum replevit miniſterium.

Si unquam cor extitit, quod fideliter gratiæ afflatibus reſponderet, atque votorum ſuorum amplitudinem repleverit plenitudine luminum, & motuum illius: hoc ſane fuit cor S. Pauli. Omnes magnum hunc admirantur Apoſtolum, cum Nationes convertit, cum Salvatoris nomen ante ipſa Judicum ſubſellia, & coram Regibus prædicavit. Non eſt loci hujus cum Theologis quærere, utrum præter gratiam, quæ voluntatem ciet, ejuſque efficit deſideria, opus ſit adhuc peculiari auxilio, quod deſideriorum perfectioni præeſt. Crediderunt nonnulli eamdem impreſſionem, quæ efficit, ut aliquid efficaciter velimus, cauſſam eſſe exterioris actionis; quin alia diverſa opus ſit gratia; quia, inquiunt, cum aliæ facultates voluntatis ſubſint imperio, ſequantur motum illius, cum efficaciter eſt determinata; ſed cum ſaniori Theologo-

BIBLIOTECA CENTRAL

logorum parte cenſeo præter primam gratiam, quæ deſiderium ciet in corde, & gignit vota naſcentis voluntatis, alteram requiri, quæ nos applicet ad hæc implenda deſideria, potiſſimum cum ad aliquod bonum opus extrinſecum ſeſe extendunt. Videtur S. Paulus innuere voluiſſe hujus auxilii diſcrimen, cum ait, quod Deus *Operatur in nobis & velle, & facere.* (*Ad Philipp. 2.*) Ratio eſt, quia aliud eſt, deſideria concipere, aliud exequi; nam in bonis conſiliis capiendis paucæ tantum difficultates occurrunt; in exequendis autem, plurimæ oppoſitiones, contradictiones, diverſorum generum, diverſarumque perſonarum; ideoque recenti opus eſt gratia, & uberiori, ad omnes obices ſuperandos, infringendoſque. Sed quomodocumque ſe habeat hoc diſcrimen; certum eſt S. Paulum perfecte reſpondiſſe gratiæ Salvatoris, ac fideliter impendiſſe talentum, quod ipſi creditum fuit.

Quid S. Pauli converſionem difficilem fecerit.

Sancto Paulo ingenium erat ſuapte natura ferox, duobus ſceleribus inquinatum, infidelitate quidem erga Deum, furore autem contra Eccleſiam, quam adhuc in incunabulis jugulare conabatur. Illud vero quod illius converſionem efficiebat difficiliorem, hoc eſt quod peccatis ſuis Religionis fucum prætexebat, exercebatque ſuarum cupiditatum impetum ſub zeli ſpecie. Conſtat nullum malum difficilius curari poſſe, quam fictam pietatem, vel zelum indiſcretum atque temerarium. Remedia, quæ aliis criminibus ſunt utilia, huic prorſus inutilia ſunt. Fruſtra afferuntur rationes ex Dei parte deſumptæ; his enim, id genus homines ſeſe tuentur. Ad peccata ſua confirmanda eas adhibent rationes, quæ ad eadem evellenda adhibentur. Igitur ad pertinacem hujus peccatoris ſpiritum evincendum, oſtendendumque illi zeli ſui errorem, opus eſt ut ipſe J. C. ſeſe illi offerat; *ego ſum.* Veritatem ejus credere noluerat, neque propter vitæ ipſius miracula, quorum teſtis eſſe potuerat, neque propter Reſurrectionem illius, de qua verba fieri audiviſſe poterat tamquam de re, quæ palam nota erat: opus fuit, ut Dei filius eum quodammodo radiis gloriæ ſuæ excæcaret, ut omnem illi de eadem dubitationem auferret. Idque tanto magis, quod cum Paulus in Moyſis lege innutritus ſpiritum haberet veteris Teſtamenti ingenio accommodatum, ubi Deus palam apparebat hominibus, veluti in ardenti rubo inter fulgura, atque tonitrua; opus fuit, ut Salvator ad illum evincendum ſe illi ſimili apparatu conſpiciendum præberet. Imitabatur ejus populi incredulitatem, qui ut crederent, ſignum aliquod a J. C. petebant. *Volumus a te ſignum videre.* Non credidit miraculis, quæ Dei Filius in ægrotantium, & mortuorum corporibus operatus eſt; opus eſt ut pro uno ipſo, ipſoque inſpectante miracula operetur. Sed ut probatior hæc ſit operatio, hanc Deus in ipſo illo perficiet, ſuperbiæ illius franget audaciam, ad pedes ſuos eumdem proſternens; confundet lumina rationis pertinacis ejuſdem, oculorum aciem illi auferendo, ut videat pſeudozeli ſui cæcitatem, & divinitatem illius, qui nolebat ipſum cognoſcere, ut eum perſequeretur.

S. Paulus caſtigabat corpus ſuū ne reprobaretur poſtquam alios vias cæli docuerat.

S. Paulus caſtigabat corpus ſuum, ut ſua expiaret peccata, ac illud in ſervitutem redigebat, ut gratiæ motibus ipſum ſubjiceret. Timebat tamen, ut reprobaretur, meritus id quippe fuerat. Nunc hanc ob cauſam profano dæmoni permiſit Deus, ut tentaret illum. Admirabile Providentiæ conſilium, ita in eodem ſubjecto permiſcere & gratias, & pœnas, & in ejuſdem Apoſtoli perſona corpus ad tertium uſque cælum ſublatum, & metum æternorum ignium conjungere! Hoc eſt gratiæ adinventum S. Paulum torquere, ut ille ultro ſe ipſum diſcruciaret; quapropter per corpus humiliat Spiritum, & per ſpiritum corpus caſtigat. Quid igitur Apoſtolus? Has patitur tentationes, ne revelationum altitudo, vel ſui miniſterii ſublimitas vanitatis ſenſus cieant, auferantque has eximias Salvatoris gratias, quas ille pauciſſimis largitur, & ut animum ſuum præparet, atque aſſuefaciat ad acceptam Deo fideliter referendam eam gloriam, quam ex miniſterii ſui dignitate percipere poſſet.

Non deſunt criticæ quædam gratiæ & neceſſariæ ad ſalutem, quæ, ſi reſiſtimus illis, fortaſſe rediture non ſunt.

Non deſunt gratiæ quædam dominatrices in vita; & afflatus quidam maximi momenti cujuſmodi illi ſunt, qui poſt diutinam in peccatis conſuetudinem ſinceram nobis ſuadent converſionem. Illarum occaſiones negligendæ non ſunt, & gratiis hujuſmodi quam diligentiſſime cooperandum eſt; plerumque enim ab hiſce momentis ſalus noſtra pendet; Hi vero validæ ſunt inſpirationes, quibus elapſis non alia fortaſſe divinitus immittenda eſt. Quemadmodum Dei miſericordia vim ſibi, ut ita dicam, facit, ut hæc nobis chariſmata largiatur; ſi ea rejicimus, abeunt. Si S. Paulus Jeſu Chriſto reſtitiſſet tunc temporis, fortaſſe numquam Sanctus fuiſſet: & quin unum ex præcipuis Eccleſiæ luminaribus eniteſceret, fortaſſe inter reprobos projectus fuiſſet. Attamen quoties aliquid in nobis experti ſumus illi ſimile, quod hunc convertit Apoſtolum? Quot lumina quæ nobis Salvatorem oſtendunt! quot ſecretæ voces, quæ ex nomine nos appellant! Audivimus, & contempſimus illas. Nonne metuendum eſt tandem, ne Deus aliquando vocare ceſſet? Adeſt quidam gratiarum numerus, poſt quas, ſi contemptæ fuerint, ſi reſtiterimus illis, recedit Deus, vel ſaltem non adeo palam pulſat ad fores cordium noſtrorum.

Inter Dei opera nullum admirabilius eſt quam peccatorum converſio, & inter has nulla, quam S. Pauli.

Quantumvis omnia Dei opera ſint infinite admirabilia, & nulla creata ſint, licet ſenſu carentia videantur, quæ gloriam ejus non recolant; fatendum eſt tamen, nihil eſſe, quod noſtras admirationes æque mereatur, ac opus gratiæ in converſione peccatorum; quia gratia hæc nuſquam admirabilior eſt, quam in hujuſmodi occaſionibus. Inter nos autem peccatores nemo eſt, quem de iniquitatis abyſſo pluribus cum admirabilibus circumſtantiis, quam S. Paulum eduxerit. Si enim fuit vas electionis, quo uſus eſt Deus ut nomen ſuum deferret coram Regibus, atque nationibus; non ſolum in Apoſtolici miniſterii ſui obeundis officiis, ſed in ipſis quoque converſionis ſuæ motibus, palam Jeſu Chriſti divinitatem nuntiavit, quia nemo præter Deum, id genus prodigia poteſt operari. Quodnam cælis ſpectaculum! Quodnam terris exemplum! S. Auguſtinus exclamat. Nonne in admirationem rapiantur opus eſt Angeli ſimul & homines videntes Saulum, ruere peccatorem, & reſurgere pœnitentem? Cœcus hic evadit in Apoſtolum, qui ab hominibus excutit cæcitatem. Moritur peccato, & gratiæ reviviſcit uno ferre, eodemque momento: *Surrexit autem Saulus de terra.* (*Act. 9.*) Mutatio hæc nonniſi omnipotentis dexteræ opus eſſe poteſt: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* (*Pſalm. 56.*)

Quomodo S. Paulus vocare ſe poterat primus peccatorum.

Venit Chriſtus peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. (*1. ad Timoth. 1.*) Cum S. Paulus ſe peccatorem nominat primum, nequaquam exiſtimandum eſt hoc ab eo per hyperbolicam humilitatem dici, neque ex mera urbanitate; ſed hoc verum eſſe judicium rationis, quam perfecta ſui ipſius cognitio illi ſuorum peccatorum enormitatem, & quantum ipſe miſericordiæ, & Gratiæ Salvatoris, a quo inde erutus fuerat, oſtendens illuminat. S. Auguſtinus hæc Apoſtoli explicans verba ait, non illi hanc fuiſſe mentem, ut vellet ſeipſum ordine primum peccatorum omnium aſſerere, quandoquidem retroacta ſæcula omnis nequitiæ fuerant refertiſſima; ſed primum improbitate, ac pertinacia, cum non ſolum veritatem reſpuiſſet, ſed etiam fuiſſet perſecutus. Paulus hoc confitens aliorum ſcelera non proſpicit, ſed ſua tantum conſiderat; & in illis aggravantes circumſtantias deprehendit, quæ efficiunt, ut alienis ſibi graviora videantur.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. (*2. ad Cor. 12.*) Poterat jure S. Paulus aſſerere; non ſolum ſermonis ſui robur, neque eloquentiæ ſuæ tonitru vim hanc, & efficientiam ſuo Evangelio tribuiſſe, ſed ſpiritum, ac virtutem Filii Dei, quem repræſentabat. Apoſtolatus ſui character illuſtrior eſſe non poterat, neque illius certiora afferre poterat documenta, quam miracula & prodigia, quæ omnes prædicationes ejus comitabantur. Auctoritas ejus melius conſtituta, meliuſque probata eſſe non poterat, quam hac facilitate, qua tot tantaque operabatur ultra naturæ vires poſita per abſolutum illud imperium, quod Magiſtri ſui nomine exercebat in omnia creata; quam hac libertate, qua utebatur potentia Dei, & hac virtute Spiritus Sancti, quæ in illo erat adeo admirabilis, ut hic idem Spiritus videretur ab illius nutu pendere eo uſque, ut illum, cuicumque, & quomodocumque vellet, poſſet impertire. S. Apoſtolus noſter Domini ſui auctoritatem exercet in elementa, feras, homines, dæmones, ac poteſtates tenebrarum. Præcipit morbis omnibus, ut recedant; morti, ut prædam, qua potita erat, relinquat; vitæ, ut in eam redeat ſedem, quæ non ultra incolenda videbatur, rurſuſque animet oſſa attrita, & putreſcentia cadavera; tenebris ut ſeſe offundant oculis peccatorum ad illorum animas illuſtrandas; ſpiritibus mendacii, ut illum abdicent honorem, quem fictis miraculis ſibi comparabant, ut recedant a corporibus, quæ obſidebant, & amittant cultum, qui ſibi in mulieribus Phythonem habentibus, adhibebatur. Imperioſe loquitur cum ſuperbis hiſce ſpiritibus, quia Domini eorum vices gerit: *Tibi præcipio exire,* (*Act. 16.*) neque aliquid ultra opus eſt ad Satanæ imperium, in corporibus, ac animabus ſibi devotis evertendum. Non ne videtur naturæ dominus loqui, & Deus ipſe imperare?

Defunctus adhuc loquitur. S. Paulus antonomaſtice fuit Prædicator: ſermo illius erat ſimplex: Dei verbum humanæ ſcientiæ pigmentis, & lenociniis non corrumpebat; ſed ejus argumentationes adeo erant validæ, ut ſi minus eruditiſſimo cuique perſuaderent, illum ſaltem confunderent. Epiſtolæ ipſius divinæ ſcientiæ abyſſum complectuntur; ibi mentis ejuſdem lumina, & caritatis ſuæ flammas in ſingulas lineas coruſcare videntur. Superborum mentes iis perſtringuntur, humiles vero illic ſalutaria monita inveniunt. Non ibi humanæ eloquentiæ lepores, venereſque occurrunt, ſed omnia Cæleſtis Rhetoricæ decora renident. Stylus non ſemper elegans eſt, ſed admirabilis ibi refulget ars argumenta pertractandi, animoſque, ut ita dicam, flectendi. In præceptis omnibus elucet prudentia, cui humana politica nil habet par. Chriſtiana morum diſciplina illic puriſſima invenitur, ac inde quilibet ſuæ conditionis munera percipere poteſt ſine fuco, ſine acumine, & ſine pernicioſis compoſitionibus, quæ optimos mores noviſſimis hiſce temporibus corruperunt. Denique Magnus hic Apoſtolus poterat appellari *Magiſter orbis*, quo nomine illum SS. Chryſoſtomus & Auguſtinus appellant, *Os toti orbi ſufficiens*; S. Hieronomus addit, ut omnes erudiat populos, eoſque de veritatibus Evangelicis, quas annuntiat, perſuadeat. Proh! Magne Apoſtole quam digne munere tuo defunctus es! Fideliter præſtitiſti quidquid in tua converſione promiſeras; neque melius tibi gratulari poſſum tot victorias, atque triumphos, quam tuis utens verbis: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.*

PARA-

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Elogium S. Pauli.

SAnctus Paulus Apoſtolus fuit antonomaſtice, & quatenus talis fuit Mundi Magiſter, oraculum univerſalis Eccleſiæ, unus ex fundatoribus, vel melius dicam, unum ex fundamentis noſtræ Religionis; vir miraculorum, & cujus perſona fuit miraculorum omnium maximum: Moyſes alter propter viſiones, atque cæleſtes revelationes; Elias alter propter raptus, ac impetus; Angelus in terra, quia non niſi in cælis converſabatur; diſcipulus non quidem mortalis, ſed glorioſi J. C. vas electionis, ut S. Chryſoſtomus inquit, omnibus cæleſtibus gratiis repletus: Evangelii depoſitarius, & Legatus Dei: Sed ille hæc omnia ſupprimit dicens ſolum ſe eſſe J. C. ſervum. Paulus Servus J. C. *P. Bourdalous.*

Quid eſſet S. Paulus ante converſionem, & odium, quo Chriſtianam Religionem oderat.

Gentium Apoſtolus ipſe fatetur fuiſſe inſignem æmulatorem Patrum ſuorum, & Judaicæ Religionis fautorem ardentiſſimum: *Proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius æmulator paternarum mearum traditionum.* (*Ad Gal. 1. Ad Philip. 3.*) Inde factus fuerat veluti Caput zelantium, ac miniſter rabiei, furoriſque Pontificum, & Phariſæorum, ipſe etiam Phariſæus, Secundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam. Videtiſne illum diripientem, voraciſſimi inſtar Lupi gregem dominicum; carcerem innoxiis replentem; domos, quo fideles coeunt, depopulantem; illos extra Jeruſalem in remotiſſimas urbes rejicientem; Pontificum furori vires addentem, ac ſævitiæ illorum excitatorem, pernicioſorum conſiliorum executorem ſe promittentem? Hic tamen homo, quem Apoſtolum tetricis adeo, fœdiſque coloribus nobis exhibent, eſt inſignis ille S. Paulus, cujus nomen illico animum obſervantia, & veneratione replet, cujus doctrina eſt veluti Chriſtianæ Religionis eſſentia, & cujus actiones inimitabiles, labores autem, vigiliæ, ſudoreſque pro Evangelii prædicatione ſunt incredibiles. Sed undenam tanta hæc, tam nova, tam velox, & inſperata mutatio? Hoc opus eſt manus Dei; non vulgaris eſt miſericordiæ illius effectus; præſtantiſſimum eſt gratiæ, & beneplaciti ejuſdem beneficium. *Sic placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam.* Et videtur voluiſſe Deum ſub initium evangelicæ prædicationis hoc mirandum opus perficere tamquam maximum illud miraculum, quod a manu illius poterat proficiſci. *Ogier in actionibus ſuis publicis.*

Quomodo fuit S. Stephani interfector, & primorum fideliū perſecutor?

Deus ex nonnullorum Patrum ſententia, oranti S. Stephano magni hujus peccatoris converſionem conceſſit, quem adhuc aliquantiſper Saulum vocabimus. Non erat ille quidem ex numero eorum, qui lapidibus S. Stephanum petebant: cum horum veſtimenta ſervaret, eorumdem manibus eum lapidabat, ut S. Auguſtinus inquit, & particeps erat impietatis eorum. Sancti Martyris conſobrinus erat, & Gamaliel utrumque in Legis ſcientia erudiverat. Falſus Religionis zelus jugulabat ipſos ſenſus naturæ, & ſocietatis ſtudiorum; cumque vidiſſet cum gaudio Sancti Diaconi Sanguinem fundi, ſitire cœpit ſanguinem eorum, qui eamdem profitebantur doctrinam, & in cruentiſſima cæde, quæ in illos exarſit, præ ceteris nituit. Domos ingrediebatur, inde captivos abducebat, trahebatque in carceres, urgebatque, ut quam citiſſime trucidarentur; denique aper erat in vinea Filii Dei, quam vaſtare oblectabatur. Cum Jeroſolymam cæde repleviſſet, ſævitiam ſuam exacuit, petiitque a Principibus Sacerdotum litteras commendatitias, ut Damaſci omnes deleret, quicumque crederent in J. C. Furor, quo agebatur, ne momentum quidem quietis ei permittebat. Anhelabat ſanguinem, cædemque diſcipulorum Salvatoris, & nonniſi proximum illorum excidium ructabat. Secum mente verſabat, quomodo illos exterminaret, ac ſe ipſum hortabatur, ut nemini parceret ſive ſeni, ſive puero, quibus illi etiam, qui crudeliſſimi ſunt, parcere conſueverunt. Tertium agebat ætatis ſuæ annum ſupra trigeſimum, & naturæ ſimul, ætatiſque ardor religionis zelo additus, facile ad extrema quælibet conſilia illum rapiebat. *Godeau in vita S. Pauli.*

Deus quærit S. Paulum in ipſo criminum, æſtu & crudelitatis exceſſu.

Quæritat Deus peccatores, ut illis miſericordiam ſuam teſtetur, in ipſo criminum æſtu, in ipſo cupiditatum fervore, in ipſo temeritatis exceſſu; & ut verbo omnia complectar, in ſtatu, qui maxime oppoſitus eſt ſuæ bonitati, videlicet in ipſo criminis actu. Quid enim exempli gratia, magis mirum eſt, quam S. Pauli converſio, quam ipſe nobis tamquam divinæ Miſericordiæ triumphum exponit? In ipſo converſionis ſuæ puncto actus erat oppoſitus gratiæ, gerens manibus arma, corde rabiem, furorem oculis, ſpirans cædes, & ſanguinem: *Adhuc ſpirans cædis, & minarum.* (*Act. 9.*) Hoc nihilominus tempore Deus illum quærit, adoritur, proſternit, & ex perſecutore facit Apoſtolum ad probandum, quod poſtmodum ille ipſe ait; Deum oblectari efficiendo ut in iis cordibus, ubi imperioſius peccatum regnabat, gratia triumpharet: *Ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit & gratia.* (*Ad Rom.*) Heu! Divina miſericordia! quis reſiſtere poſſet tantæ bonitati? Ullumne eſt cor adeo invitum infinitis tuis beneficiis, ut hæc intuitum, & cogitans minime cedat! Nequaquam. Credi non poteſt quidquam in mundo eſſe aptius ad peccatores etiam obduratiſſimos, & pertinaciſſimos flectendos; cogendoſque, ut revertantur ad Deum, illecebris ſuaviſſimis hujus miſericordiæ, & dicere liceret quodam in ſenſu, hoc in mundo participem fieri duritiæ dæmonum, qui non ſolum rejiceret, ſed ne audire quidem vellet vocem parentis amantiſſimi, cujus infinita clementia eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

S. Pauli Elogium.

Miſſio S. Pauli Apoſtoli nullius finibus fuit circumſcripta. Miſſus fuit ad omnes terrarum populos, pertulitque Evangelium eo quo celeberrimi terrarum Domitores armis ſuis non pervaſerunt. Hinc omnes Eccleſiæ Patres illum *Magiſtrum orbis* appellant, & fatentur nullum fere populum eſſe, qui ſalutem ſuam prædicationi S. Pauli acceptam referre non debeat. Prædicator hic eas habet qualitates, quibus plurimum ſupra ceteros extollitur, & quæ fateri nos cogunt, præſtantiſſimos etiam illius imitatores longiſſime ab illius zelo, luminibus, & fortitudine abeſſe. Hic Evangelicus Præco eſt, qui homines erudit, gentes, & Judæos convertit; qui omnibus ſæculis prædicat, & qui quotidie Prædicatores efficiens jure ſuo gloriari poteſt, ſe poſt mortem adhuc convertere peccatores. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Aliud S. Pauli Elogium.

Præclarum opus gratiæ Dei, mirabile vas ineffabilis electionis, pignus divini amoris in Gentes, Eccleſiæ Doctor, Oraculum S. S. Vitæ Chriſtianæ regula, præſidium imperii Filii Dei; Paulus, cujus vel ipſum nomen dæmones terret, ac fideles conſolatur: ubi cogito conatum meum, quo laudes tuas celebrandas aggreſſus ſum apud fideles, qui alioquin de tuis inimitabilibus exemplis, cæleſtibuſque doctrinis eruditi ſunt; in anteceſſum meam fateor temeritatem, ac me opus ſuſcepiſſe viribus meis impar, atque ſupernaturalem requiri eloquentiam, ut digne perfici valeat. Eorum dumtaxat eſt, quorum conſummata eſt doctrina, & in ſcriptis tuis conſenuerunt, atque plus adhuc pietatis habent, quam facundiæ, ad vivum exhibere perſonam tuam, viviſque coloribus ad unguem exhibere divina exempla tua, ac virtutum tuarum præſtantiam, eaque populo annuntiare. *Godeau.*

Aliud S. Pauli Elogium.

S. Pauli Apoſtoli elogium ſemper viſum eſt S. Doctoribus toto cælo ſupra humani ingenii vires poſitum. Hæc laus eſt hominis, quem S. Chryſoſtomus tamquam SS. omnium principem colit, & tamquam præſtantiſſimum opus Divinæ Gratiæ, & Miſericordiæ veneratur; hominis, qui ex D. Auguſtini ſententia, ex Apoſtolis omnibus ille eſt, qui majori cum ſoliditate fidei dogmata tractaverit, majorique cum profunditate de Religionis noſtræ myſteriis ſcripſerit; hominis, qui per antonomaſiam Magnus vocatur Apoſtolus, Doctor Gentium, lumen Eccleſiæ, hominis tandem, qui ſolus, inermis, ſine præſidio, ſine opibus plures vicit inimicos, ſuperavit obices, ſubjecit Provincias, retulit triumphos, majoremque terrorem injecit quam celeberrimi Orbis domitores, quibus decies centena militum millia parebant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Pauli character.

Fingite vobis ſtatim hominem vividum, omnia conantem, auſterum, legis ſcientia tumentem, Patrum ſuorum opinionibus modicus inhærentem, ac ſuis occupatum, qui inter ceteros inſignibus factis emicare cupit, & qui citra examen omnem damnat doctrinam, quæ ſuis cognitionibus adverſatur, & ſecutus ingenii ſui ardorem Religionis fuco, eamdem Religionem oppugnat. Talis erat Saulus Eccleſiæ J. C. perſecutor. Prima Martyris, quem ipſe omnium carnificum manu lapidibus obruerat mors, illius odium minime expleverat; omnes ad unum diſcipulos, alios quidem ſermonibus, alios minis, alios carceribus, aliiſque ſuppliciis alios corrumpere, deterrere, perdere cupiebat. Jeroſolyma nequaquam illi ſatis amplum erat theatrum, furorem ſuum ad remotiſſimas quoque urbes proferre ſtudebat. Ipſe Sacerdotes, atque Pontifices excitabat, ac ſe illorum ſævitiæ auctorem, miniſtrumque profitebatur. Hinc ampliſſimam obtinet facultatem exercendi potentiam ſuam, ut auctoritate ſuam alat cupiditatem, eique alliniat fucum affectatæ obedientiæ. *Flechier.*

Hypotypoſis ſævitiæ Sauli, & cædis, qua J. C. gregē perſequebatur.

Poſtquam S. Stephanus a carnificibus, quorum veſtimenta Saulus ſervabat, lapidibus obrutus fuit, fideles Jeruſalem fuga ſibi conſulere debuerunt ad perſecutionem, quæ adverſus illos inſurrexit, evitandam. Saulus potiſſimum Eccleſiam vexabat, domos ingrediebatur, vi inde viros, atque mulieres abripiebat, atque trahebat in carcerem. Minas addens contumeliis nonniſi diſcipulorum Domini cædem anhelabat. Cum ejus zelo furenti nimis anguſta videretur Judæa, effecit, ut peteret ex Summo Pontifice litteras ad Synagogas Damaſci, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros vinctos perduceret in Jeruſalem. Hac facultate munitus viam corripuit. *Cum iter faceret*, inquit Scriptura, & vias mortis corriperet; (quo iter facere poterat, antequam Salvator illum in vias ſalutis traduceret?) quænam erat cordis adeo turbati affectio, niſi deteſtabilis, & cruenta; & quid merebatur homo in ſtatu adeo funeſto, niſi ut a Deo rejiceretur? Merita non habebat niſi illa, quæ in Dei Judicium, terribilemque detrahunt damnationem. Igitur faciebat iter hac mente, ut Salvatoris membra perſequeretur, ut eorum ſanguinem effunderet, & gregem Filii Dei depopularetur. Talis erat hujus itineris finis, cum ex iis eſſet, *quorum*, ut Propheta inquit, *veloces pedes* ſunt *ad effundendum ſanguinem.* (*Pſ. 13.*) Attamen quis credat? In hoc ipſo itinere, quod odium ſuaſerat, crudelitas ſuſceperat, furor produxerat; Dei Filius ad leonem hunc accedit, illum proſternit in terram, illum excæcans illuminat: *Saule, Saule,* inquit, *quid me perſequeris?* (*Act. 9.*) Nequicquam reſiſtis. Ego elegi te, ac ſervavi te *tamquam vas electionis*, ut

defe-

BIBLIOTECA CENTRAL